Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
16 G
54

M

Chriſtianæ ciuitatis ARISTOCRATIA.

PONTIFICII ET REGII IMPERII deſcriptio breuis, ex commentarijs rerum quotidianarum Io. Quintini Hædui, iuris doctoris & ordinarii profeſſoris Lutetiæ.

In cap. Nouit. de Iudi.

Obiter aliquid annotatum in reſponſum Vlpiani de mero & miſto imperio, cap. 3. de Iuriſd. ff.

BIBLIOTH. COLLEG. ROMANI
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARISIIS.
Apud Chriſtianum Wechelum ſub ſcuto Baſilienſi, in uico Iacobæo: & ſub Pegaſo, in uico Bellouacenſi,
Anno M. D. XLI.

Quintinus candido LECTORI.

SI IVRE, atque adeò meritò ridentur, qui(ceu corpus ipſum negligentes de veſte ſolliciti) lautas operibus ſuis, & fumoſas quærunt inſcriptiones, propter quas (ait ille) vadimoniū deſeri poſſit: vereor vt in hanc ego reprehenſionem inciderim, beneuole lector: ab ipſo nempe libelli noſtri titulo nihil eſt quod quiuis non ſperet. Quid enim maius inter homines excogitari poteſt Ariſtocratiâ? Nec illa ciuitatis cuiuſlibet, ſed Chriſtianæ? Verùm quum intraueris (pudor bone?) quàm nihil inuenſes huic ſuperbo cognomini feredo ſufficiēs? Quod vbi quis legerit, audire ſtatim mihi videor occinentem, Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu? Proculdubiò, candide lector, hac in re palpo mihi non blandior. Humeris imparem materiam, maiusque viribus onus agnoſco: quod etiam laturū me nec ſperaui vnquàm, nec promiſi. Quæ res autem cauſam dederit huic inſcriptioni, ſi placet accipe. Verſatus de more ſex anni præteriti menſes in exponendis rubricis de iudiciis, & de foro competenti, quum vidiſſem Pontifices & concilia modò leges regias in cōſtituendis ſuis amplecti, modò reiicere, quandoque iudicia canonibus eccleſiæ terminari, quandoque regulis ciuilibus exerceri: quumque legiſſem promiſcuas iudicum prophanorum & eccleſiaſticorū cognitiones, dum defectu iuſtitiæ alter in alterius locū ſuccedit: breuiter improbari quū vidiſſem (quod eſt in Platonis repub.) non referre ſiue bonus ſiue malus magiſtratum gerat, ſed tantum ſecūdum virtutem dari honores, & ſecundum dignitatem: protinus in mentem mihi venit Ariſtocratiæ cuiuſdam, quæ eſt optimatum principatus, & mutuum regimen: vbi maximè, imò ſola virtus honoratur, & eſt in precio: vbi fas eſt nemini, præterquàm bonis & ſanctis viris, ad honorum gradus & magiſtratus adſpirare: quibus adhuc excidunt, & ſtatim deponuntur, ſi non legibus, ſed ſuis affectibus obtemperantes, prauè aliquid & iniuſtè geſſerint: a- *Ariſtocratia eſt virtutis et bonorum imperium.*

 lijs

lijs optimis ſuffectis, qui præſint, quique non ad bonum duntaxat, ſed ad optimũ publicum, & vtilitatem cõmunem tantùm, ſalutémque ciuium res adminiſtrent & gubernent. Hæc ἀριστοκράτεια eſt, & ἀρισονομία. Quam viuendi formam & inſtitutionem quum nobis eccleſia præſcripſerit, ex æquo de ſuis iudicans, paritérque legibus ſubiiciens omneis, & ſic inſtituens, vt boni quidem viri plus quàm ſibi congruat, habere non quærant, improbi autem ſi quærant, habere non poſſint: Ἀριστοκρατικός ἐγὼ Ariſtocratiam ciuitatis Chriſtianæ mente mox & iudicio complexus, tentaui quoque libello exiguo claudere. Sperãs eum, qui ciuitatis huiuſce caput eſt & princeps Ieſus Chriſtus, hæc mea ſtudia prouectarum quò cupio, ad ineffabilis tantùm nominis ſui gloriam, & eccleſiæ ſuæ laudem: cuius decretis, ſacroſanctiſq; e canonibus noſtra hæc & edimus & ſubdimus. Quo animo dicta omnia ſemper accipias, & fœliciter valeas, Amice lector.

Summa diſputationis articulatim ſequitur.

1 Imperio ſemper iuriſdictio ineſt, non imperium iuriſdictioni. Nec ſunt apud Vlpianum imperij meri & imperij mixti exempla, ſed verę vtriuſque diffinitiones, in tit. De iuriſd. ff. Hoc in prænotatis. reliqua ſunt inuicem connexa.

2 Quemadmodum columna modò dextera eſt, modò ſiniſtra, prout eſt ad hominis dexteram ſiniſtrámve ſita: ſic regem pontifex, & pontificem rex habet, aut ſpiritualibus aut temporalibus exigentibus negocijs.

3 Gladium pontifex vtrunq; geſtat, exercet alterum rex ſolus: quem pontifex etiam deſertus à ſuis in hoſtes licitè ſtringit.

4 Rex ſolus inter ſui regni procęres ac magiſtratus habet imperium merũ: quod in cunctos habet eccleſia cũ regalibus alijs, audiens & actiones omnes, & quorumcumque denunciationes.

5 AEqualitas æquitate conſtat, æquitas ſuum cuique tribuit: ad quæ legibus Iudices omnes obligantur.

Hæc Elenchi vice præponimus. Ad rem.

CHRISTIANAE CIVITATIS ARISTOCRATIA.

HABENT hoc in ſolenni more poſitum recentiores iuris interpretes, vt ipſo ſtatim nomine deſignent exponendum caput, ne longiore inquiſitionis labore torqueatur auditor. Poſteà diuidunt illi: eſt enim perſpicuitatis amica diuiſio, & ad docilitatem pertinet. In ſummam deinde colligunt, quæ ſpatſim per totum caput habentur: nam & hoc memoriam confirmat. Speciem conſequenter capite illo deciſam proponunt: ſiquidem plurimùm refert, ex facto rem cognoſcere. Hoc enarrato, literam explicant: in qua ſi quid obſeruatione dignum ineſſe putauerint, hoc pòſt annotant. Quem nos hîc ordinem ſequemur: ea tamen prænotantes (quod vbiq; ſolemus) ſine quibus ingrata eſſet, nec ſatis explicata nunc à me repetita lectio cap. Nouit. de Iudi. Omnis de iuriſdictione & imperio futura eſt noſtra diſputatio. Et quoniam ſine diffinitione nec intelligi quicquã, nec quæri, nec diſputari poteſt, placet antè diffinire quid ſit id de quo diſputaturi ſumus, ne cõfuſè & tenebroſè differamus, ſine vera & certa rei cognitione diſputãtes. Videmus enim qui per tenebras quidpiam inueſtigat, vt quicquid in eius manus venerit, id eſſe credat, quod quærit. Quod noſtris hoc in negocio quod aggredimur, potiſſimum contigit: vbi vocabulorum trium etymis ſtupendè luſerunt, & luſi ſunt, inquirentes quid & vnde dicatur imperium merum, & mixtum, & iuriſdictio. Neque nemo eſt, ex neotoricis maximè, qui non plus quàm Lynceus hac in re vnum ſe verum vidiſſe iactet, aliorumq; cæcitati ſuccurriſſe: qui non ſe medullas exucciſſe legum putet, quas ne olfecerunt quidẽ antiqui: breuiter, qui non ſe arbitretur habere penum priuatam, ex qua ſingulari guſtu omnia promat. Acuti homines, in legũ interpretatione nihil non audentes, quod ipſi de ſe affirmant: quos equidem non inuitus ſalutarim Patricios, Lautos, germanè Romanos iuriſconſultos. Satis hoc indicant ambire ſe, dum paſſim veteres & quoſque recentiorum (vnum ſi demas, aut alterũ) cenſent omneis inter plebeios, ſordidos, & barbaros iuriſcõſultos. Nec putãt ab aliis ea de re dici poſſe, dictúmve fuiſſe aliquid aut melius, aut ſubtilius vnquam. Illorũ tamen nemo eſt, qui ſecũ ipſe ſemper cõueniat: & ſuis inuicem diſcrepant argu-

A diffinitione ſemper eſt incipiendum.

tationibus.quod illos reddit non intellectæ veritatis ſuſpectos, quæ ſemper vna eſt, & eadẽ ſibi concors,opinionibus immutabilis. Eſto per me ſuũ cuiq; iudicium,de rebus potiſſimum non admodùm foro, ciuitati,regnóq; gubernando neceſſarijs. Promam non è tripode, cũ doctis illis & ingenioſis viris, oracula quibus credi velim, de ponte ceu deturbatis ſexagenarijs iuriſconſultis: abſit hæc audacia:ſed oſtendã ſimpliciter ſine ſpinoſa moleſtáque verborum perplexitate,quid de negocio nuſquàm non agitato,neque ſatis omnibus intellecto ſentiam. Qua in re (quod in exegeſi cap. de multa, non ſine doctorum ſuffragio fecimus) præmonitum rurſus lectorem volo,diffinitionem me minime ducere ad illam neſcio quam philoſophorũ regulam, qua ſeſe aiunt breuibus, lucidis, & abſolutis quibuſdam verbis enunciare quid quidque ſit,hoc eſt, totam rei ſubſtantiam.Seruitus hæc verborum pereleganter à Quintiliano dicta inſtit. orat. libro ſeptimo,cap. de finitione,non minùs à noſtro iuriſconſulto,quàm ab illius oratore procul eſſe debet. Nam periculi plenum eſt,certis ſe verbis aſtringere.Propterea dictum ab Vlpiano,quod omnis diffinitio in iure ciuili periculoſa eſt: rarum enim eſt,vt non ſubuerti poſſit.ff. de Reg.Iuris. Et Paulus Ibidem. L. Simul (ait) ac vitiata eſt, perdit officium ſuum.Simile quiddam ſcripſit Cicero 2.de Orat. librò. Diffinitio (inquiens) reprehenſo verbo vno, aut addito, aut dempto, ſæpe extorquetur è manibus: deinde genere ipſo doctrinam redolet, exercitationémque penè puerilem. Vnde & Accurſio erubeſcenda viſa eſt. Et profectò turpe eſt cauſa cadere, ſi verbo ſit erratum vno. Hoc igitur diffinitionis genus ocioſis duntaxat philoſophorum ſcholis conueniens, nequaquam ſectamur, qui verbis periclitari nolumus. Sed eodem authore Cicerone 2.de Inuent. libro, & in partitionibus oratoriis, diffinitionem appellamus explicationem vocabuli ac nominis: per quam de vi verbi quæritur, propriiſque poteſtatibus eius. Et apud Fabium finitionis ſpecies eſt Etymologia. Quomodo nos diffinimus ſi quod eſt in iure poſitum obſcurum verbum, quibuſdam rerum deſcriptionibus vtentes, operta patefacientes, & rem ipſam proponentes. Qualibus diffinitionibus refertus eſt titulus de verb ſig. Vbi tamen vnum hoc cauendum, ne aut falſæ,aut vulgares ſint diffinitiones. Prout Seruius dolum malum

Quales in iure ſint diffinitiones.

lum

lum diffiniuit, aſſumẽs ea quæ nihilominùs in aliã rẽ transferri poſſunt: ob id à Labeone meritò reprehenſus l. 1. ff. de dolo malo. Talibus enim vti vitioſum eſt, Rhetoricorum ad Herennium. 2. Vt exordiar.

DE IVRISDICTIONE.

IVriſdictio eſt officium & autoritas iuriſdicendi. L. 1. §. damus. ff. de Suſp. tut. id eſt, Facultas adminiſtrandæ iuſticiæ, æquitatiſque ſtatuendæ, & poteſtas quædam gubernandi populum iure ac legibus. Officium quum nomino, comprehendo quod Azonem in ſumma ſequutus Accurſius dixit in l. 1. ff. de Iuriſd. Iuriſdictionem habere in ſe iuriſdicendi neceſſitatẽ. Nam officium eſt, quod vnumquemque facere oportet. Quiſquis autem iudicandi munus ſemel ſuſceperit, ius reddere cogitur, authentica Iuſtiniani lege, Vt differentes Iudi. &c. grauibuſque ſupponitur pœnis iuſticiam dum iuſtè deprecantibus per gratiam, aut ſordes magiſtratus denegat. Ius dicere eſt iudicia exercere: vnde oritur iuriſdictio, non iuriſditio. Ditio eſt imperium & poteſtas: poteſtatẽ verò ius habet vbique terrarũ, quę legib⁹ moribúſq; regũtur, quũ ſæpe iuriſdictio modicis admodùm circunſcribatur finibus: quippe quæ nulla ſit extra ius dicentis territorium. l. vlt. ff. de Iuriſd. Iudicium nominatum eſt quaſi iuriſdictio, vt ſcribit Iſidorus cap. Forus. de verb. ſign. atque ita ſumitur in. l. 3. C. de iuriſd. om. iud. Rectè quidem. nam exercentur iudicia duntaxat ab habentibus iuriſdictionem, id eſt, iudicandi poteſtatem l. Qui neque, ff. de Iudi. & in fi. l. 1. ff. ad S. C. Tertulia. Per quæ ſimiliter parentum in liberos, dominorũ in ſeruos poteſtas oſtenditur non eſſe iuriſdictionis, quæ tantùm eſt in diſceptationibus fori & iudiciorũ. Aliqua de cauſa notionem habent illi, vt in titulis de Seruo. & prop. emend. c. probatur, iuriſdictionem non habent. Sunt hęc duo diuerſa l. v. ff. de re iudic. Non eſt (inquit Ariſtoteles) patris ad filium propriè ciuile iuſtum, Eth. 4. & polit. 7. Latiſſimè patet, valdeque effuſa eſt huiuſmodi iuriſdictio, omne omnino ius dicentis officium complexa, quacunque hic de re iudicet: quomodo ſumitur apud Vlpianum. l. Qui iuriſdictioni pręeſt, de Iuriſd, aliiſque in locis. Neque ſolùm iuriſdictio eſt facultas iuriſdicendi, ſed eſt etiam licentia iudicis dandi litigantibus. l. j. eodem tit. Quanquam qui iudicẽ dat partibus ipſe per alium,

Iuriſditio.

Iuriſdictio, & notio.

Jurisdictio quid

Offm

Nota in Judicis denegans iustitiam

per datum (puta) ſeu delegatum iudicem ius dicere videtur. Hæc ampla iudicandi autoritas quondam Romæ tantum à Senatu vel populo tribuebatur magiſtratibus: modò à ſolo principe deſcendit, in quo vno omnis eſt poteſtas: cui ſoli nunc (quod olim populo) iureiurando promittunt, præſtaturos ſe puram conſcientiam, genuinúmq; ſeruitium, quicunque rerum adminiſtrationem ſuſcipiunt. Firmatur hoc nouella quadam conſtitutione Iuſtiniani, Iuſiurandum quod præſtari ſolet &c. Priuati enim Iuriſdictionem cuiquã dare nequeunt. Priuatorum conſenſus (ait lex) iudicem non facit, l. 3. C. de Iuriſd. om. iud. cap. Significaſti. de foro comp. Priuatos appellant, qui non ſunt aliqua in dignitate vel poteſtate conſtituti: addo quive collegium licitum, & vniuerſitatem non faciunt. Abſit vt corpus aliquod habeatur pro priuato.

A qbus detur iuriſdictio.

Priuati.

Duplex iuriſdictio.

Pleniſſima iuriſdictio.

Hec iuriſdictionis nomen quidem generale eſt, in duas autem ſpecies diuiditur: quarum altera dicitur pleniſſima iuriſdictio, l. Si in aliquam. §. vlt. ff. de offi. procon. quam qui habet, maiore nulla poteſtate impeditur. Nam maius omnibus habet imperium poſt principem, omniumque magiſtratuum partes, qui quoquomodò ius dicunt ad ipſum pertinent. Suetonius in Caligula vocat hanc liberam iuriſdictionem, atque interpretatur, Magiſtratibus (inquiens) liberam iuriſdictionẽ, & ſine ſui appellatione, conceſſit. Pleniſſimam iuriſdictionem noſtrates pragmatici ſua lingua vocant altam, mediam, & baſſam iuſticiam. Sua pariter hanc interpretes nominant omnimodam iuriſdictionem. in Cle. 1. de foro comp.

Simplex iuriſdictio.

Altera ſpecies iuriſdictionis circa ciuilem tantum cauſarum cognitionẽ verſatur, quæ iure actionis expediũtur: & iuriſdictio ſimpliciter vocatur, in ſuam ſpeciem genere contracto: ex vſu verbi tantùm priuatam cuiuſque vtilitatem reſpiciens, & in iure æquabiliter cuique reddendo conſiſtens, non etiam ſibi vitæ ac necis ius vendicans: niſi quatenus interpellatur, vim magnã non habet officii proprij, & motu ſuo pauca facit hæc iuriſdictio, in puniendis etiam ſceleribus. Nemo enim dicit animaduerſionem legatum proconſulis habere, qui nec coërcendi, nec atrociter verberandi ius habet, quum tamen iuriſdictionem habeat. l. Si quid erit. de offi. procon. l. 1. de officio eius cui mand. iuriſd. ff. Si tibi quis igitur loci alicuius iuriſdictionem

ctionē permiſerit, modicā tibi duntaxat iniunxiſſe creditur, cætera ſibi reſeruaſſe. Neq; enim merū aut miſtū imperiū ſimplici nomine iuriſdictionis intelligitur. Bald. Hæc in cap. Quāto. de iudicijs: & Panhor. in cap. Conqueſtus. de foro cōpet. probant. Quod in vſu etiā iuriſcōſultorū nō ſemel occurret. Vnū de innumeris. Vlpianus tribunal diſtinxit à iuriſdictione (ſedes erat olim diſcrimē etiā dignitatis) in l. 1. ff. de Iud. iudicis (ait) qui tribunali præeſt, vel aliā iuriſdictionem habet. Ad maiores illud iudices pertinet, qui cū imperio ſunt & poteſtate, publicaq; iudicia exercēt, vt in l. 2 ff. de re iud. Sedē hāc aſſignāt conſulibus, præſidibus prouinciarum, prætoribus, & alijs excelſis magiſtratibus. Iuriſdictio verò minorum eſt iudicum, qui non in ſellis curulibus, nec tribunalibus (vti eſt apud Aſconium) ſed in ſubſellijs conſidebant, & iudicabant, quales erant Pedanei iudices. Hic tātū iuriſdictio dicitur de minoribus iudicijs, quam ſimplicem iuriſdictionem vocamus. Non venit hæc à ſolo principe: vniuerſitas, & licitum quodque collegium demandat etiā ſuis rectoribus. l. vlt. C. de iuriſd. om. iud. Diuiſit Accurſius iuriſdictionem in merum imperium, in miſtum imperium, & in iuriſdictionem: quæ poſtrema ſuo ſtat in nomine, ait in auth. de defenſ. ciuit. §. iuſiurandum. Hæc illa eſt in ſpecie iuriſdictio, de qua nos hic: quæ propoſita duntaxat actione in cauſis pecuniarijs exercetur, inſtantibus ac petentibus partibus. Aſſerunt hanc aliqui non dari ſupra trecentorum aureorū cognitionem: dictúmque probant illa citata nouella conſtitutione Iuſtiniani de defenſ. ciuit. Propterea Baſſæ, id eſt, infimę, iuſticiæ vocabulo vulgus hanc intelligit: quæ tamen res arduas quandoque tractat, vt quum de ſtatu hominis, famáve agitur, ac de præiudicialibus quæritur. Item de pœna corporali nonnunquam. vt ſi damnatus in pœnam pecuniariam laboret inopia, corpus torquendum eſt, prout eſt in ſermone trito, Qui nō habet in ære, luat in corpore l. 1. §. vlt. ff. de pœnis: quæ Bartolus & omnes aſcribunt huic iuriſdictioni. l. imperium. ff. de iuriſdictione. Sententia Iaſonis eſt cum Angelo exiſtimantis omnes omnino cauſas, quæ priuatam vtilitatem reſpiciunt, & expediūtur iure actionis, huius eſſe ſimplicis iuriſdictionis: quam ego veram puto. Sed & palum erigere, cui ſolent alligari noxii quidam non magnæ culpæ rei (poſtellum lingua noſtra vocat) huius

Tribunal, & iuriſdictio.

Aſconius in diuinat Cicero.

Baſſa iuſticia.

huius eſſe iuriſdictionis, neque Petrus Iacobus in Practica dubitat, & ego illi aſſentior : & fures etiam fuſtibus caſtigare, niſi tam atrox atque tam famoſa perſona ſit, vt ſuperioribus iudicibus remittatur. Non ſolet id fieri ſupplicij gratia, ſed emendationis, vt rubore impulſi meliores fiant: vnde puto quod nec infamiam importat. arg. l. Ictus fuſtium. ff. de infa. & vocatur admonitio fuſtium. l. Veluti. ff. de pœnis. Actionibus hanc iuriſdictionẽ ſeruire verum eſt in cauſis pecuniarijs, vt ſuprà dixi: cæterum in caſtigandis leuioribus delictis, aut maiorum criminum reos in cuſtodiam conijciens, dũ tranſmittantur ad præſidem (quod poſſunt inferiores omnes magiſtratus hanc habentes iuriſdictionem. D. auth. de defenſ. ciuit. §. Audient) vel dũ ſuam tuetur, ac defendit aliqua modica coërcione autoritatem (ni fallor) hîc expectandi non ſunt interpellatores, neque eſt opus accuſatoribus vllis: vti nec in omnibus ab humanitate iudicis pendentibus, veluti ſi det aduocatos nõ habentibus: ſolus hæc infimus quiſque iudex ex officio facit, mera quadam ſua poteſtate nixus : quæ iam ſpectare videtur ad imperium, ſine quo nulla eſt iuriſdictio. l. vlt. ff. de offi. eius cui &c. Sed iam de imperio nonnihil dicamus.

Hæc duo nõ probat uſus

DE IMPERIO.

IMPERII verbo (ſicuti & poteſtatis) plura ſignificantur. Vt enim legitur in liberos poteſtas patris, & ĩ ſeruos poteſtas domini, & magiſtratuũ poteſtas, quod Paulus tradit in. l. poteſtatis. ff. de verb. ſig. Sic & patris imperium, dominiq;, pariter & iudicis imperium leges. Taceo de bellicis imperijs, huc etiam nihil attinentibus. Imperare nonnunquàm iubere eſt, ac præcipere: tria ſunt hæc omnium communia verba, qui leges alicui poſſunt imponere & præſcribere, ſiue iniungere vt aliquid fiat. Prodita eſt actio quod iuſſu. libro xv. Pandectarum, quum pater, dominúſve iubet vt contrahatur. Iubent & ædiles in l. Item quæritur. §. ſi quis menſuras. ff. locat. Sic dicitur imperare liberis, id eſt, regere filios, expoſitore Donato in Adelph. Et imperator familiæ apud Plautum in Cap. Hoc in ſignificatu Iabolenus in l. liber homo. ff. ad leg. Aquil. ius imperandi nominauit, id eſt, iubendi, præcipiendi, quale quiſq; in ſuos ſeruos, ſubditos, & inferiores habet. Imperium domeſticum Cicero pro Cecinna vocat. Iulianus de Teſtib. Idonei teſtes non videntur

Impero, iubeo, præcipio.

Magiſtratus omnes habent imperãdi, ſeu iubendi poteſtatem.

tur eſſe, quibus imperari poteſt, vt teſtes fiant: perinde eſt ac iuberi. Inde ſunt imperium, præceptum, iuſſus, non differentes ſignificatione voces. Celſus de re iud. Quod iuſſit, vetuítve prętor, cõtrario imperio tollere, & remittere poteſt. i. cõtrario iuſſu. Edictum prætoris vocat Vlpianus imperium. l. fi. ff. ne quid in loco publ. fiat. Hoc in iuſſu vel prohibitione conſiſtit. Et pręceptum prætoris, id eſt, imperium, l. iniuriarum. §. *Si quis*. ff. de iniur. Hoc illud eſt imperiũ, quod iuriſdictioni cohærere Paulus annotauit in l. 1. & in l. fi. ff. de offi. eius cui &c. Vt (videlicet) quiſquis alicui negocio publicè præficitur, is dicatur in illud habere imperium: cui parendum eſt, vt omnibus recta & honeſta præcipiẽtibus, ac ſuperioribus obeditur. Quod & Cũ poteſtate eſſe veteres frequentiùs dixerunt, Autore Feſto. Cicero in 6. Verr. Cum poteſtate proficiſci in prouinciam. Et eſſe cum publico imperio dicitur à Plauto in Trucul. miſſus aliquid legatus. Hinc illæ frequentes in Pandectis locutiones, Magiſtratus qui imperium, poteſtatémve habet: diuerſa nequaquàm puto poſt Pompeium.

Eſſe cũ poteſtate.

Imperium quandoque dicitur ipſa publica dignitas, & magiſtratus autoritas. Cic. In fam. Illic eſſe ſine imperio turpe eſt. Et ad Atticũ, Vides tyranni ſatellites in imperijs. Quomodo Caius in l. 2. de adopt. Magiſtratus imperio fit adoptio, id eſt, autoritate, ſiue, autore magiſtratu. Neque enim præcipit mandátve Prætor vt adoptemus, ſed adoptare volentibus ſe accommodat. Iulianus d. tit. de offi. eius &c. Qui alienam iuriſdictionem exequitur, non pro ſuo imperio agit, ſed pro eo, cuius mandatu ius dicit. Oſtẽdit hic delegatum iudicem non habere imperiũ, id eſt, magiſtratum nõ gerere, nec idcirco eſſe hunc in vlla dignitate. Propterea ſi quid imperant delegati, dicere ſolent, Autoritate qua fungimur, vti annotatur in cap. Quum in iure. de offi. deleg. Funguntur enim vice eius qui mandauit, non ſua, quum propriũ nihil habeant. l. 1. §. Qui mandatum. d. tit. de offi. eius &c. l. ſolet de iuriſd. ff. Vnde & delegatos (vti & arbitros) negant habere iuriſdictionem, qui nec ſuas poſſunt exequi ſententias. l. A diuo Pio. de re iud. ff. quam tamen legato, id eſt, alicuius poteſtatis vicario tribuunt omnes, eamque ordinariam. Diſcrimen hoc videas apud Bart. l. 2. C. de officio eius qui vicem &c. & l. v. ff. de re iudic.

Delegatus iudex nec dignitatem, nec iuriſdictionem habet.

Superbum imperandi uerbum. Quandoque imperare ſuperbum verbum eſt, magnæq; perſonæ, inquit Seruius: innuens vt ſtatim, & ſine contradictione fiat quod dicitur. Imperare eſt plus quàm iubere, ait idem Donatus in illud Eunuchi Terentianæ, Iubeo, cogo atque impero. Cui ſuffragatur canon vlt. 14. q. 1. Quod imperatur, neceſſe eſt fieri: ſi non fiat, pœnam habet. hoc vſu inuenitur apud Latinos imperare arma, imperare pecuniam, imperare naueis, imperare tributum. Quo ſenſu ſcripta eſt illa Modeſtini regula, quod legis virtus eſt imperare. ff. de legib. Vnde fit imperium, id eſt, poteſtas, autoritas illa cui parendum eſt, quoties quid mandat, & iubet. Quod Cęſar imperat tolerandum eſt, inquit Auguſtinus. can. Militare. xxiij. q. 1.

DE IMPERIO MERO.

PRISCI Romanorum conſulti hoc imperiū partiti ſunt in duo. Alterum vocant imperium merum: Alterum, imperium miſtum. Imperium merum eſt, habere gladii poteſtatem ad animaduertendum in facinoroſos homines. Hæc Vlpianus l. iij de iuriſd. Id eſt, Merum imperium eſt ius, autoritas, ac poteſtas, quam quis habet ad capitaliter puniendum delinquētes. Non vna eſt in iure, ſicuti nec apud Latinos acceptio huius vocis, merum. Baldus aliquot adduxit ex variis legibus, interpretans l. 3. de obſeq. patr. præſt. C. Quod ad hūc locū attinet, *Merum.* hoc imperij genus appellatur merum eo ſenſu, quo ſunt à Plauto in milite dicti, Meri bellatores, & à Cicerone, Meri principes. 2. de orato. libro, id eſt, ſummi, perfecti, abſoluti principes & bellatores. Sic verè dicitur imperium merum, id eſt, maximū, ſummum, quod quis iure permittente habet non in res tantùm & fortunas, ſed & in caput alterius: vt puta, qui ſententia ſua vel mortis, vel amiſſionis ciuitatis pœnam poteſt irrogare. Maius eſt in homine nihil, quodq; proximius accedat ad deum, quàm vnius arbitrio cuncta regi, vel ſtare vel cadere: propterea, ceu *Poteſtas.* per ἀντονομασίαν, poteſtas appellatur, quod eſt merū imperiū. Lampridius de Alexādro Seuero, Honores iuris gladij nunquā vendi paſſus eſt, dicens, Neceſſe eſt vt qui emit, vendat: ego nō patiar mercatores poteſtatū. Hoc pariter meri ſignificatu vocatū eſt à Pōponio merū iudicis officiū, & merū pręcoris officiū l. v. de verb. oblig. (videlicet) quod in iudice ſupremū & excellēs eſt: quādo quid illa pretoria, vel iudiciaria poteſtate decernitur: quādo ſuo quodā iure magiſtratus quid facit, facere ve per ſe poteſt,

teſt, omni frequenter obligatione, & actione deficiēte: hoc etenim actionũ inſtar obtinet: vt ſi prætor in integrum minorē reſtituat, pupillis det tutores, de dolo, vel damno infecto cauere iubeat, & id genus alia, quæ cui competunt, eo ipſo quod in magiſtratu eſt: non eadē in omnibus, ſed diuerſa diuerſis, prout maiores aut minores ſunt. Prodiderunt hoc à gloſſis & Bartolo dici Nobile iudicis officium. Neſcio ſi quem veterum iuris cōmentatorum ſecuti fuerint, in effingēdo nouo hoc nomine: certè non tam mihi videtur ineptum, quàm quidam volunt: accipio perinde, ac ſi dicerent, inſigne, & præcipuũ iudicis officium, æquitate magis quàm vllis formularum præſcriptis, aut vſu aliquo forenſi connixum & fundatum. Quale ab Ouidio perelegânter vno verſiculo deſcribitur 1. Triſtium. *Merum iudicis officiũ.* *Nobile iudicis officiũ.*

Iudicis officium eſt, vt res, ita tempora rebus Quærere: Id eſt, rerum ac negotiorum circunſtantias, & qualitates perpendere, nō mera ſubtilitate, quæ iuris inimica eſt, ſed mera bonitate. Sic & Vlpianus in. l. 2. de re Iud. Deſcēdit hoc à religione iudicātis, quã ſibi vice actionis implorat, quiſquis per leges aut aliqua ſtatuta municipalia excluſus eſt actione: tũ certè iudex nō actionis aut accuſationis vi, nulla legis neceſſitate coact°, ſed ex ſola ęquitate procedere debet, oppreſſis benigne officiũ ſuũ impēdens, vt autor eſt Bart. in l. plane, & l. vlt. ff. de petit. hæred. in cuius ſententiam paſſim vadunt omnes. Propterea vocatur hoc officium, motus, ſeu, religio iudicis: id eſt, recta conſcientia iudicis iuſtè & ſanctè, prout arbitratur æquitatem poſtulare, munere ſuo fungentis. Verè nobile eſt hoc officium, nulli ſeruiens actioni. Pomponius imperium merum nominat aliter ſummum ius, & ſummam poteſtatem. l. 2. de orig. iu. Idem & Arcadius. l. vnica de off. præfect. præt. ff. dicitur à Cicerone ſummum imperium. De Virginio loquitur. 2. de finib. Virginem filiam ſua manu occidit, potius quàm ea P. Claudij libidini, qui tum erat ſummo in imperio, dederetur. Quod huc conueniat, Baldus ait, interpretans. l. eam quam. C. de fideicom. ſummum imperium dici plenitudinem poteſtatis. Iuriſconſulti ſibi peculiaria fecerunt imperij meri, ac mixti, ſicuti & ſtricti iuris vocabula. Capitales igitur cauſæ, præter cętera, meri ſunt imperij, quum præuia criminis diſcuſſione quis morte exiliόve coërcetur. Hoc animaduertendi verbo deſignatur: quando quidem *Motus et religio iudicantis.* *Summũ ius et imperiũ.* *Summa poteſtas.*

apud iuriſconſultos animaduerto eſt punio, caſtigo: neque hoc generaliter (ait Valla, peritiſſimus horum cenſor) ſed iure & autoritate legibus data punio. A quo deducitur animaduerſio. Pomponius de orig. iuris. Conſules non poſſunt in caput ciuis Romani animaduertere iniuſſu populi Romani: id eſt, ius dicere de capite ciuis Romani, & hũc exilio, vltimóve ſupplicio tradere. Dictatoribus capitis animaduerſio data eſt. Vlpianus de iniu. Si cuius gladio caput eſt percuſſum, publicam hoc animaduerſionem habet. Eſt igitur animaduerſio delicti punitio, quæ iuris ordine ſeruato, cum cauſæ cognitione fit ab habente ordinariam poteſtatem. Neque enim iudicibus omnibus conceſſa eſt animaduerſio, id eſt, criminis anquiſitio cum poteſtate pœnæ conſtituendæ. Et animaduerſum, ſicuti cõdemnatum, accipere debemus eum duntaxat, qui ritè, ſcilicet ordine iudiciario, punitus ſit. l. 4. §. condemnatum. ff. de re iudi. vnde animaduerſionem dico tantùm, quam legitima cognitio præceſſit.

Animaduerto.

Animaduerſio.

Gladius.

Sed & gladius ϖρακτικῶς omnẽ omnino capitalẽ punitionem indicat, ex Alberici ſententia, quã præ alijs amplector hîc, Gladius (ait) eſt inſtrumentum legale. Neque enim minùs vtitur gladio is qui deportat, aut in mẽtallum, vel ad furcam damnat, quàm qui caput, aliúdve membrum amputat: vt animaduertere gladio, ſit capitaliter punire. Capitaliter autem damnatus intelligitur is, cui pœna mors, aut quæ proxima morti eſt, metalli coërcitio, vel aquæ & ignis interdictio, quæ deportatio dicitur. l. capitalium. ff. de pœnis. l. edicto. ff. de bo. poſſ. Quo in vſu gladium dictatorium legimus apud Ciceronem pro Cluentio, pro quacunq; (ſcilicet) animaduerſione, & vitæ adimendæ poteſtate, quam Romæ Dictator ſolus habebat, in animaduertendo ſecuribus vtens quàm frequentiſſime. Legum prima ſecuris, ait Iuuenalis Saty. 8. Duplex eſt gladius, inquit Albericus, materialis, quo diſſecamus: & ciuilis, quo deportamus, ac patria interdicimus. Eſt vbi ſtrictiore gladij ſignificatione vtuntur, vt ne ſecuris quidem ſit gladius. l. Aut damnum. ff. de pœnis. Sed nouum non eſt apud Latinos, aliam atque aliam verbi vnius eſſe poteſtatem. Multaque μεταφορικῶς hîc dicuntur, ita vt rationes & argumẽta quibus alios impetimus, gladij, pugiones, & mucrones nominentur. Excommunicatio quoque gladius eſt, ac mucro. Et animaduerſio eſt etiam, vbi corpus non lęditur. Si

Capitaliter damnatus.

cuius

cuius facinoroſi bona fiſco addicantur,gladij poteſtas eſt.Bart. hic.Et animaduerſio quædam pecuniaria legitur in l.Aliud eſt fraus.ff. de verb. ſig. Nec enim ſua voluit Vlpianus excluſam diffinitione cauſam pecuniariam, licet criminalis tantùm animaduerſionis meminerit: quum ſit enim criminis iudiciũ multò maius ciuili.l. vlt.C.de ord.Iud. conſequitur, vt qui de crimine cognoſcit,de rebus quoque conſtituere poſſit.Quod quidem naturalem habet intellectum,vt cui maius conceditur,non denegetur minus.Et certè perabſurdum eſt, vt in eius ſalutem vel exiſtimationem valeat quiſquam proferre ſententiam,cuius de nulla re poſſit pecuniaria iudicare.l. vlt. de agent. in reb. lib.xij.C.Ridiculũ foret eos,qui de maximis rebus (de vita hominis)deliberant ac decernunt, dicere poteſtatem non habere in leuibus,nec multi momenti negotijs. Incognitũ nemini ſcio, quòd vel ſolus ictus fuſtium, atque ita minima corporis pœna grauior eſt,quàm pecuniaria quantacunque damnatio.l.in Seruorum.ff. de pœnis.Mero imperio iuriſdictionem ineſſe docet ex Papiniani verbis Accurſius in l.1. ff. de offi. eius &c. Vt ab Vlpiano quoque ſubintelligere poſſumus, qui ſtatim poſt merum imperium de mixto loquens ait, Mixtum imperium eſt, cui etiam iuriſdictio ineſt, &c. Etiam, ponitur pro Quoque, pro Similiter:coniunctio implicatiua eſt(vti aiunt)innuẽs idem pariter de alio dici,ac ſentiri debere.quod docuit Bart.in.l.Su°. ff. de Hæred. inſtitu. Oſtendit igitur Vlpianus imperio mero coniunctam eſſe iuriſdictionem,dum dixit,Miſtum imperium eſt,cui etiam iuriſdictio ineſt,&c.quaſi dicat,non illi ſoli mero, ſed & huic miſto ſimiliter inhæret ac permixta eſt iuriſdictio. Neq; enim merũ dicitur imperium, quomodo vinum merum, cui nihil eſt immiſtum,ſed alio ſenſu quem ſuprà declaraui.Inſuper argumentum rei nonnullum præbet, quòd qui viam habet,actum habet atque iter.Neque enim via ſine actu & itinere eſſe poteſt: quæ vtraque in ſe continet,adeò,vt qui viam mihi conceſſerit,& iter vel actum excepit,nihil egit.Sẽper enim ſum actione de ſeruitute vſurus. l. 1.de Ser.ruſt.præd.l.loci .§. 1.*Si* ſeru. vend.l.1.de adi.leg. ff.Idem cenſeo de mero imperio reſpectu miſti imperij,& iuriſdictionis,ſine quibus duobus poſtremis primum non eſt.Et quemadmodum claui aurei & purpuræ pars ſunt veſtimentorum.in fi.l. Quum aurum.ff. de auro

Imperium merum de pecunijs ut de uita iudicat.

Imperium merum continet iuriſdictionem.

Etiam.

leg. Ita iuriſdictio miſtumque imperiũ continentur mero, quod eſt pleniſſima iuriſdictio: non ſolùm condemnandi criminoſos, ſed abſoluendi quoque poteſtatem habens. arg. l.3.ff. de re iud. Vtrunque meri imperij eſt, autore Baldo poſt Albericum: quanquàm de ſolis reis puniendis l. imperium loquatur. Sed ea eſt natura correlatiuorum, vt poſito vno ſequatur alterum. Malè colligitur, Non conſtat in animaduerſione, igitur non eſt imperium merum. Cuius ergo eſt ex imperio de cauſa criminis, cognitio, in quacunque re alia poteſt is cognoſcere. Aduertendum, quod, Ex imperio, dixi, id eſt, propter vim imperij. Neque enim latrunculator de re pecuniaria iudicare poteſt, quũ de vita poſſit. l. Solemus. ff. de iudi.. Quo in loco vocat Vlpianus latrunculatorem, noua nec ineleganti voce, qui de latrunculis, id eſt, viarũ obſeſſoribus, & vagis prædonib⁹ cognoſcit & iudicat. Huius limitata eſt & reſtricta poteſtas, vt latrones tãtùm puniat, nõ ex imperio quod habet, ſed præſidis aut principis mandatu, q ſuã prout vult in queq; diſpertitur poteſtatẽ, permittẽs vnicuiq; quod pl⁹ eſt, & auferẽs quod minus eſt. Sed & per cõſequentiã iudex maleficiorũ de rebus quoq; pronũtiat. Qua de re Bartolũ adeas in l. interdũ. §. qui furẽ. ff. de furtis. Neq; rurſũ ſentio (quod Albericus diſputat) in executione ſentẽtiæ dũtaxat eſſe merum imperium, & non in ipſa ſententia potius, & cognoſcendi poteſtate. Nam imperare, decernere, iubere, non ſignificant exequi: ſed contrà, Exequimur imperata, decreta, iuſſa, ſententias, non quum iubemus, ſed quum facimus quod iuſſũ & pronunciatum eſt. Nec video qui poſſit imperium merum, ſicuti nec edictum prætoris aptè vocari Executio: quæ tum fit quum damnatus reus conſumitur, aut res iudicata perducitur ad effectum. l. executorem. C. de Execut. rei iud. Verba ſunt (exequi & executio) nudi maxime miniſterij, quæ in vſu & in facto conſiſtunt, non in verbis aut ſolo iuſſu. Nec puto quempiã Latinorum aliter vſum: certè non legi: non eſt in iuriſconſultis, niſi quà tranſlatio poſtulat, quare & Albericus hoc etiam reſpuit. Nec putat omnem rei iudicatæ executionẽ continere imperium. Imperium merum (quale Romæ citra controuerſiam Dictator habuit) ſi nulli eſt permiſtum iuriſdictioni, nec habet cauſæ cognitionem, ſed executione mera nititur (ſeu re, ſeu verbis hoc fiat) quæro, voluntariáne, an neceſſaria eſt iſtiuſmodi

Latrunculator.

Imperium merum non eſt in executione.

executio,

executio. Si neceſſaria, vile eſt imperium merum, quod intra lictorum, & apparitorum miniſterium continetur, qui nihil iure ſuo, vel autoritate propria faciunt. Si volũtaria, populi Romani leuis erat autoritas, poſtq; principis, cuius iuſſa magiſtrat⁹ exequũtur, ſi volunt. L. Papyrius dictator, inuito populo Romano, tribuniſq; reclamantibus, ad quos prouocatũ fuerat, Qu. Fabium magiſtrum equitum, quem, dum bellum gereret in Samnitibus, noxæ damnarat, in medio foro Romę per lictores prehẽdi, cædi, & ſecuri feriri iubet: non iuſtum, ſed precarium palàm vocans illorum auxilium contra ſuam ſententiam. Hoc nõ eſt aliena voluntate pendêre, nec alterius exequi mandata. Nõ igitur ijs anguſtijs, quibus plerique putãt, hoc imperium tenetur, altercantium rixis cauſidicorum tantùm ſeptum. Ridiculum genus imperij, ceu regni cuiuſdam baſilicani Lutetiæ. Videor hîc mihi cum ratione ſequi antiquos omneis, aut antiquorum partem longe maximam. Illud appello merum imperiũ, quod eſt abſolutum imperium, non alieno nutu pendens, nec forenſibus incluſum cancellis, ſed omnia in ſe ſumma ac libera continens, vt fuit olim populi Romani, poſteaque Monarcharum: per quod leges conduntur, concilia coguntur, bella indicuntur, exercitus armantur, populi & prouinciæ reguntur, ciuitates conſtituũtur, magiſtratus & poteſtates creantur, delinquentes variè pro criminũ qualitate puniuntur, aut abſoluti liberantur, pax & vtilitas publica cõſeruatur. In ſumma, quodcũq; eſt boni principis officium, tam circa publica, quàm ſingulorũ cõmoda, manat hoc ex mero eius imperio: cuius vbiq; maieſtate digna vox eſt, vt legibus alligatũ ſe profiteatur, ſuis ſemper cõſilijs antepones legũ autoritatẽ: quandoquidẽ, hoc maius eſt imperio: nã rex eſt ciuitatis princeps, non legum dominus. Non eſt aliud princeps, quàm cuſtos iuſti, prout Ariſtoteles 4. Ethicorum de Iuſticia tractans ait. Quod equidem dixerim, ne quis huic mero imperio calumniam faciat clamitans è triuio, quod principi placuit, legis habet vigorem: &, principem dare quidem leges, at non teneri legibus. Si quid enim alienum faciat ab æquo & bono, id eſt, ab arte iuris, iam non merum imperium, ſed mera tyrannis eſt. Nam regiæ virtuti & mero eius imperio tantùm congruit, peccantes ad officium cogere, non clariſſima quęque ſubuertere: imperium non eſt vis ſpoliandæ plebis, aut ſi quid

Ex octauo Liuij ab urbe cõdi.

Res imperij meri.

C aliud

aliud fiat contra bonos mores.l.3. de eo quod metus. ff. Mero principis imperio conuenire dixi priuatam etiam ſingulorum ciuium curare vtilitatem:veluti quum rogatus iuuenibus honeſtorum morum ad res ſuas gubernandas ætatis veniam facit, quod ſolus poteſt.l.1.&.2.de ijs qui ve. ætat.imp. C.quum per emancipationem filius abſens, aut infans à patre ſui iuris conſtituitur:quod duntaxat fit autoritate,atque ex reſcripto principis.l.v.C.de eman. lib. Sicuti & naturales filij ex illicitis nati complexibus legitimi fiunt principali tantū benignitate & clementia: in auth.Quib.mod.natu.effi. leg.§.Illud. Et principis imperio tantùm arrogamus eos qui ſui iuris ſunt.l.2.de adopt. ff.Solus hic ſententiam paſſos in integrum reſtituit.l.1.de ſent. paſſis.C.Solus quoque natalibus.ff. de natal. reſtit. Iſthæc eſſe miſti cuiuſdā imperij,quod maximū vocant,aſtruūt interpretes noſtri:qui iuriſdictionem, & imperium partiti ſunt vnū quodque in multa membra: Bartolus in ſex,Iaſon duntaxat in quattuor: vt ea inter ſe magnitudine,& quaſi gradibus,non genere differrent. Sic enim legimus in magiſtratibus frequenter aut maius,aut par, aut minus imperium, prout quiſque dignitatis alicuiꝰ officio fungitur: vnde Cicero nominat in Piſone imperia cōſularia, & imperia prętoria.Quod monuerim,ne quis argutulus,quod docendi gratia fecerunt illi, reprehendat. Quā tamen diuiſionem an ſciuerit Vlpianus, & qui præceſſerunt, quíque ſequuti ſunt eius notæ Iuriſconſulti, neſcio : ſcio quod non docuerunt. Magis mihi congruere viſum eſt, vt dicamus eſſe meri imperij, quæcunque per ſolum principem expediri poſſunt.Non plura de mero imperio nunc : & inſtituto ſatis, ſupráque faciunt. Ad ſecundum.

Imperium merum circa priuatā ſingulorum utilitatem.

DE IMPERIO MISTO.

VLPIANVS iam ſuprà citato loco miſtum imperium ita diffinit,Miſtum imperium eſt(cui etiam iuriſdictio ineſt)quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit.Opinati ſunt plerique,iuriſconſultum non rei diffinitione, ſed exemplis hic agere.Ego contrà,deſcriptum ab eo vtrunque imperium puto. Bonorum autem poſſeſſionem accipi generaliter volo:& non tantùm quæ ex prætoris iuſſu neceſſitatem inferat, & poſſidēdi actum includat,vt ſunt bonorum poſſeſſiones ex primo vel ſecundo decreto ; vt Carboniana; & quæ ventris nomine datur:

Bonorum poſſeßio.

tur: & quæ datur filio emancipato gratia agnoſcendæ litis in querela inoffícioſi teſtamenti, & ſi quæ ſunt ſimiles: ſed etiam loquor de bonorum poſſeſſione,quæ cauſa cognita ius tribuit immutabile,ſtans in finibus ſententiæ: hoc eſt,quæ procedit & accipit fundamentum in pronuntiatione definitiua inter partes per iudicem ſtatuentem,vtra pars poſſidere debeat,& vtri ſit collitigantium rei dominium. Quandoque bonorum poſſeſſio,iuris eſt magis quàm facti(ſicuti ait Vlpianus) non in corporali actu aliquo,reíve detentione conſiſtens: ſed eſt ius perſequendorum, retinendorumq́; bonorum,quæ quis, dum moritur,habuit. Et bonorum poſſeſſor eſt (velut hæres) non qui detinet,ac bona poſſidet,ſed cui ius illud competit.in Tit. de bo.poſſeſſ.ff.& inſtit. Hîc autem non eſt alia accipienda bonorum poſſeſſio,quàm ipſa poſſeſſio,ſiue rerum poſſeſſio:quæ non tam iuris eſt,quàm facti & animi. Nec aliud eſt,bona poſſidere, quàm poſſidere bona. Idemq́ue ſunt rerum poſſeſſio, & poſſeſſio rerum, fundi poſſeſſio, & poſſeſſio fundi. ff. de bonis autoritate iudicis poſſidendis. Ne quis hîc fortè mihi ab inuerſis dictionibus arguetur,vt in Iudicatum ſolui,& ſolui iudicatum nonnulli faciunt,meo quidem iudicio,ſatis pro libito. Hanc autem poſſeſſionem dat prætor, quum ſententia ſua iubet,vt poſſideamus: veluti quando mittit in poſſeſſionem bonorum contumacis,vel rei ſeruandæ cauſa,dat bonorum poſſeſſionem: dat etiam bonorum poſſeſſionem, dum nos de re aliqua contendentes audit,& rē nobis adiudicat. Do etenim Ma~~crobius numerat in tribus illis~~ ſolennibus prætorum verbis, Do,Dicò,Addico,primi Satur. libri,cap.16.quæ omnem omnino iuris & legis actionem cum executione continent. In rem prætor.aut in perſonam dum permittit agere (nempe aliter olim non licebat)rei controuerſæ diſceptatorem ſe conſtituens, actionem dare dicitur:quibus ferè verbis edicta prętorum concipiuntur. Ait prætor, Si quis,&c. Subiungitur, Actionem dabo. Sententiam verò ferens,dicit:quam dum exequitur,addicit. Miſtum igitur imperium eſt autoritas pronuntiandi & iudicãdi de quibúſque bonis & rebus alienis. Hoc imperium lege,vel conſtitutione principum, aut municipali iure aliquo, moréve tribuitur: Nam dat hoc imperij genus & conſuetudo,quod in d.l.Imperium.adſtruunt omnes. A iuriſdictione differt,quæ iu-

Rerum poſſeſſio,et poſſeſſio rerũ.

Do,Dico, Addico.

Miſtum imperium.

Differũt imperiũ miſtũ & iuriſdictio.

re magiſtratus competit, ſeruitq; duntaxat ordinarijs actionibus & petitionib⁹ rerum, nec extraordinarias vllas perſecutiones continet. Imperium verò miſtum & actionibus & petitionibus accommodatur. (nam & huic ineſt iuriſdictio) vtráque pertinet ad omnes illas perſecutiones, quæ non habent aliquam iuris ordinarij executionem, ſed à mero ac nobili iudicis officio pendent. Miſtum gerit imperium, qui in integrum reſtituit, & qui bona, rei ſeruandæ cauſa, poſſidere iubet: quod magiſtratibus municipalibus, alioqui iuriſdictionem habentibus, non permittitur. l. Ea quæ. §. 1. Ad municip. ff. Pariter in miſto eſt imperio, qui captis pignoribus quoſque coërcere poteſt: qui ſua iuriſdictione compeſcit, ne propter rem controuerſam ad arma & rixam procedatur à colligantibus, hanc ſua manu, titulis adſcriptis, in tempus occupando: qui nouum ius in re tribuit non habenti: qui decreto ſuo roborat & firmat aliàs inualida, vt in alimentorum tranſactione, in alienatione prædiorum minoris, & eiuſmodi. Breuiter hoc imperium nihil in caput noſtrum poteſt, in corpus & bona poteſt, coërcendo, multando, vinciendo, & ſimilia faciendo quæ ſunt omnibus ius dicentibus conceſſa, vtpote ſine quibus iuriſdictio explicari nõ poteſt. In xij. cauetur apud Ciceronem, libro de legibus tertio, Magiſtratus nec obedientem, & noxium ciuem multa, vinculis, verberibúſve coërcento. Omnibus itaq; magiſtratibus ſecundum ius poteſtatis ſuæ conceſſum eſt, iuriſdictionem ſuam defendere pœnali aliquo iudicio. l. vnica. ff. Si quis ius dic. &c. adeò, vt ædiles curules (quos inter minores magiſtratus reponit Gellius, qui poſſunt & in ius vocari, & prehendi. cap. 13. lib. 13.) præterquam quod lectos in via publica poſitos conſcindere, menſuras iniquas frangere iubent, præter redhibitoriam, & quanto minoris actiones, quarum exercitionẽ habent, inſuper & iure ſuo flagellis cædere poſſint vtenſilium, falſos negociatores. l. Eos qui. ff. de decur. Nec ideò capitaliter agunt: neque enim capitalia ſunt iudicia (teſte Paulo) ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coërcitio pœna eſt. l. 2. de publ. iud. cõueniunt quæ ſuprà de iuriſdictione ſcripſimus. Quod autẽ de multando dixi, venit apertiùs explicandum: neque enim ſcrupo caret. Non ſolis olim Romæ ſuperioribus magiſtratibus, ſed ipſis etiã ædilibus multæ dicendæ ius fuit, apud Gellium cap. 6. lib. x. à

Res imperij miſti.

Coërcitio eſt imperij miſti.

De multa.

x. à quibus erat ad populum,ſenatúmve prouocatio, corã quo de multa certabatur. Euerſa re Romana, variè res iſta agitata eſt. Vlpianus imperatoris Alexandri ſcriniorum magiſter, & conſiliarius,ſcriptum reliquit,illos tantùm magiſtratus habere multæ dicendæ poteſtatem, qui publica iudicia exercebant, & quibus erat adiudicatio cõceſſa.in fi.l.2.ff.de iud.Et.l.Aliud eſt fraus.de verb.ſig.Id eſt,qui in imperio,vel poteſtate erant,quique prouincias ordinario iure moderabantur: vt Proconſules, Prætores,Præſides,& id genus.Subſecuto tempore multarum modum ſtatuit Honorius in.l.vlt.C.de modo mult. Theodoſius vetuit, ne defenſores ciuitatum multas infligerent.l. v. de defenſ.ciuit.Iuſtinianus omnibus hoc iudicibus permiſit in apparitores,ac viatores ſuos (quos ille vocat executores) negligentius mandata perficientes.l.2.de ſport.C.Bart.poſt Accurſium in principio.d.l.Si quis ius dic.&c.Docet vnumquemque magiſtratum pro ſuæ iuriſdictionis modo rebelles & inobedientes ſibi multare ex officio poſſe: maiores,grauius: & leuius, minores.Et ſanè debuit hoc ita eſſe, ne magiſtratuũ qualiſcũque maieſtas lædatur,& in contemptum veniat. Nam & arbiter cõtumaciam litigatoris punire poteſt,pecuniam eum aduerſario dare iubendo.l.Non ex omnibus.ff.de Arbit.quam poteſtatem iudex etiam delegatus habet.cap.4.de offi.deleg. Licet hoc igitur(& magis)omnibus magiſtratum gerentibus.Eſtque multa (ſicuti & carcer)non tantùm imperij, ſed etiam iuriſdictionis: cuius tamen & hodie prouocatio datur.l. Si qua pœna eſt.ff.de verb.ſign.Quæ verò miſti ſunt imperij propria,palàm ſuprà fecimus.Appellatũ miſtũ imperium (vt ratio quoque nominis aliqua reddatur, quanquam non ſoleat iuriſconſultus ab etymologia vocis argumentari.Negat etiam Fabius à nomine duci idonea argumenta) quòd ſit miſtura, id eſt, (prout apud Varronem Marcellus interpretatur)moderationem quadam, & ad normam aliquam temperatum, intra res duntaxat, & bona noſtra ſe continens, non etiam prolatum in vitam noſtram,ceu plena quadam poteſtate liberum,& abſolutum.Miſcet in Latinis autoribus pocula,qui vel merum porrigit,& bibendum miniſtrat:quia temperatura quædam eſt ad ſitim,vel nutũ bibẽtis. Certè nõ ſatis intelligo,quî dicere cõueniat imperiũ miſtũ ideo vocari, quòd ex diſſimilibus rebus miſceatur: vt nec merum

Magiſtratus omnes habent multã di poteſtatem.

Imperium cur appellatum eſt miſtum.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

nominatur imperium,quia purum ſit, & ab omni miſtione alienum,quum ſit huic etiam admiſta iuriſdictio.

Quid intelligatur imperij nomine.

Significatur hæc vtraque poteſtas & meri & miſti imperij, frequenter ſimplici appellatione imperij per excellentiã: quomodo Vlpianum loquutum interpretor,dicentem quoſdã magiſtratus eſſe ſine imperio.l.nec magiſtratibus.ff.de iniur.Id eſt, minores magiſtratus, qui coërcere aliquem non poſſunt, aut iubere in carcerem duci .l.2.de in ius voc .ff. quales duumuiri ciuitatum.Rurſus idem dixit,quòd in poſſeſſionem mittere, & iubere cauere prætoria ſtipulatione, imperij magis eſt, quàm iuriſdictionis .l.4.de iuriſd. quod intellige dictum de mero vel miſto imperio.Aliubi enim legimus iuriſdictionem nullam eſſe ſine imperio,omneſque magiſtratus etiam municipales habere iuriſdictionem.l.magiſtratibus.ff.de iuriſd. Maxime ſunt appellandi magiſtratus, quibus datum eſt deliberare de quibuſdam, & ſtatuere, & iubere: & maxime hoc extremum: nam iubere imperioſius eſt.Hæc Ariſtoteles. 4.Politic.Quanquam multa geruntur à magiſtratibus,quæ nec imperij ſunt,nec iuriſdictionis: vt ſi det ipſe prætor tutores pupillis.l. muto. de tutel. ff. quemadmodum conſul, & proconſul,dum manumiſſiones & adoptiones expediunt,nec imperio, nec iuriſdictione ſua vtuntur, conſilium duntaxat, & autoritatem manumittere volentibus præbentes.

Magiſtratus.

Sed opus vltra legem tendere videbor,ſi de iuriſdictoinibus, & imperio diſputem prolixiùs. Res difficilis,ac multum & ſæpe quæſita,cuius tamen executio haud quaquam eſt inſtituti noſtri.Maxima tantùm breuitate præmiſi quicquid ad dicẽdorum explicationem facere videbatur. Vnde nobis illud Vlpiani reſponſum fuit obiter attingendũ, quod eſt tertiũ ſub rubrica de iuriſd.ff.de quo ſumma doctorum diſſenſione certatur adeò,vt vix in libris inuenias æditiones duas inuicem conuenientes, dũ quiſque legem illam,ceu Lydiam regulam,ad ſua pertrahit cõmenta,detorquens, inuoleuns, texens,retexens omnia,& quicquid in buccam venerit commẽtans,ſummum ſibi (qua vi,quo iure)in.l.imperium,arrogans imperium.Et ſunt qui in argutijs huiuſmodi non ſine laude exercuerunt ingenij ſui vires.Ex tot voluminibus ſpinoſis,ex tam immenſis,ijſque inter ſe pugnantibus interpretum cõmentarijs difficile eſt verum elicere: præ-

ſertim

ſertim quum ſit quiſque quò magis callidus ac dialecticus, hoc magis ſimplicitati legum aduerſus. Ego via regia vagor (interim tamen non ignorans vetuſta pleraque nouis eſſe rudiora) & eo quidem animo, nullum vt certamen inſtituam. Hæc etenim ſine detrimento morum & reipubl. ignorari poſſunt. Quare cũ cæteris luſiſſe putemur, ſi nobis actum nihil eſt: nempe vera dicentibus facile cedo: & premitur ratione animus, vincique laborat.

Iam poſt hæc generaliter prænotata diſquiramus in ſpecie, quódnam eſt huiuſce cap. Nouit. decretum. Illud in tres diuido partes. In prima pontifex Regis potentiam à ſua ſeiũctã ponit. In ſecunda ſuam ſedi apoſtolicæ autoritatem aſſerit, humano diuinoque iure roboratam. Delegatos ſuos in tertia monet officij, iudicijq; mandati. Secunda mox occurrit poſt principium, Sed quum dominus dicat. Tertia eſt in fine cap. Ne ergo tantam. Penè verò tota decretali nihil aliud agit Innocentius, quàm quòd rationem reddit à ſe recepti iudicij, & cognitionis inter duos reges de imperio certantes: & hoc ſummatim dicit. Autoritati põtificiæ regia poteſtas ſic de iure ſubeſt, vt ſemper vtrique ſua ſit ſalua maieſtas. Accipe quæ res huic tam celebri decreto cauſam dederit. Ex Gallica hiſtoria paucis referã, quæ ad huius explanationem pertineant. Circiter ſalutis annũ milleſimum ducenteſimum ſecundum, Philippus cognomento Auguſtus, latè in Gallia, & feliciter imperabat, vndique profligatis, & expulſis hoſtibus. Ioannes Anglus, qui tum Richardo ad Calacum oppidum in Lemonicum finibus interempto ſucceſſerat, initio ſtatim regni nolens ſibi rem eſſe cum tam potente principe, ad concordiam cepit Philippi colloquium petere: quod Gallus non abnuit. Itaque Reges de firmanda pace cõueniunt, quam certis conditionibus vtrinque iuratam pepigerunt. Exactis poſt aliquot menſibus, Arcturus dux Britanniæ, qui beneficiarius Galli, parteis eius ſequebatur, ab inſidiante Anglo contra pacis fœdera captus in Pictonibus, & necatus eſt. Quod vbi Philippus reſciuit, ingenti contracto exercitu, Ioannẽ Anglum ſceleris, infidelitatisq; damnatum aggreditur. Impar rex Anglicus ad Innocentium tertium, qui Celeſtino tertio in ſedẽ Romanam ſucceſſerat, omnis alterius inops auxilij confugit, denuntians quanta in ſe Gallus moliretur, fœdifragum clami-

Diuiſio cap. Nouit.

Epitome totius cap.

Hiſtoria pſ facto caſu.

tans,& pactæ pacis contemptorem. Innocentius (perinde acſi neutrarum partium fuiſſet, quum tamē tunc totus eſſet Othonis Saxoniæ ducis,& Alemānorum imperatoris, quo non alius Gallis infenſior, Ioannis regis ſorore genitus) primò nuntijs in Franciam miſſis, regibus mandat vt bello abſtineant, & fœdus cum religionis iuramento ſancitum ſeruent, pœna in contemptorem præcepti adiecta, qua ſacris, eius regno interdicebatur. Anglus imperio lætus, in poteſtate pontificis ſe fore affirmabat. Hoc autem à Philippo quum non impetraſſet, Arcturi mortē inter alia contra promiſſi fidem hoſti obijciente, cauſam delegauit Othoni cardinali, ſuo dudum per Franciam legato, ſimul & Bituricēſi Archiepiſcopo: qui duo de plano cognoſcerēt, iuſta eſſet necne querimonia, quam in Gallum coram eccleſia proponebat Anglus: Et Galli regis exceptionem audirent aduerſus Angli denuntiationem: deinde pronuntiarent: Prælatis omnibus per Franciam præcipiens, vt ſententiam quam ferri contigiſſet, obſeruarent. Habetis caſum, non fictum illum, ſed ex vera ſumptum hiſtoria, propter quē noſtra hæc epiſtola decretalis ędita eſt. Si finem quæratis, nihil hac importuna legatione actum eſt. Nam aduerſus intempeſtiuū delegatorū mandatum Philippus indignum ratus certam ſibi victoriam de manibus eripi, prouocatione ſeſe tutatus eſt, appellans à delegatis ad ipſum delegantem pontificem maximum: pōſtque quod reliquum erat Aquitaniæ in Anglorum ditione, ſibi ſubiugauit: ac deinde totam Normaniam in poteſtatem recepit. Innocentius aduerſæ parti deditus erat vſque adeò, vt appellationi regis non detulerit, executores meros fuiſſe cauſatus illos delegatos, non iudices. cap. Nouit. de appellat. Hic Ioannes Anglus (quod annales teſtantur) regem ſe beneficiarium, Angliámque ac Hyberniam Papæ vectigalem profeſſus eſt, ab eius legato regni diadema ſuſcipiens. Sed ad rem. Iſta in epiſtola papali

Ratio dubitandi. cauſa dubitationis eſt. (Nam & hanc adfert, elucidationis gratia, Caius. l. Adeo. §. Illud rectè. ff. de acq. rerum do.) Philippus ingratitudinis, perfidiæ, & feloniæ vaſſallum arguebat, (vtar aſſuetis hoc in negocio vocabulis) qui quum dolo, contráq; leges Arcturum nepotē patruus occidiſſet, regis Franci feudatariū, die dicta nec adfuit, nec abſentiam excuſauit. Ideò Gallus (quod ciuili iure licebat) feuda manu militari vendicabat, Aquitaniam

cum

cum Pictonibus & Normaniam, quæ beneficij nomine à Gallis accepiſſet, in priſtinum ius dominij propter feloniam reſtituta omnia. Innocentius arma non licere dicebat ijs reſumere, qui ſemel pacem iuraſſent: atque propter iuramentum, eſſe ad iuſtam eccleſiæ cognitionem, non ad impiam militum coitionẽ veniendum, contendebat, abrogatis illis feudalibus & prophanis conſtitutionibus. Quod certè placuit, & vero verius eſt: ſemotaq́; factione, pontifex legitima via procedebat. Quò ſpectat quod Cicero 2. de legibus refert, in duodecim tabulis legẽ hanc fuiſſe: Bella ſacerdotes diſceptanto, id eſt, componunto iudicãto, dirimunto. hoc enim eſt diſceptare. Si tantum dæmonum ſuorũ myſtis vetus illa ſuperſtitio detulit: nos veræ & immortalis cultores religionis, quid nõ tribuemus põtificũ noſtrorum ſententiæ? præſertim (quod nunquã non eſſe debet) ſi ſit huius interpoſitus & iudex & teſtis Chriſtus, à quo vno illi omnes. *De bello, deq́; pace diſceptant pontifices.*

Nunc de more magis, quàm quòd valde conducat, annectenda venit anteſcriptis elucidatio literæ: quam pede leui percurremus, annotaturi reliqua ſequentibus noſtris commonitorijs in hoc ipſum caput. Epiſtolæ pontificiæ talis eſt inſcriptio.

Innocentius III. Prælatis per Franciam conſtitutis.

Hic Innocentiorum tertius, fuit Romanorũ pontificũ centeſimus octogeſimus tertius. Pontificatũ cœpit anno Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimo octauo, regnãte in Gallia Philippo Auguſto Deodato, quẽ geſſit annis fere octodecim. Sub quo ſancti claruerunt Hiſpanus Dominicus, & Franciſcus Italus, à quibus ordo Prædicatorum & Minorũ tũ fuit inſtitutus. Huius etiam temporibus aſcribunt aliqui Gratianum decreti aurei compilatorem. Decretales ipſe ſuas quaſdam, & præceſſorum digeſtas per titulos compoſuit in vnum volumen, quas obſeruabant in iudicio, & eccleſijs: & in ſcholis etiam legerunt ad annos vſque Gregorij noni: & in huius noua compilatione quàm multas illius inſertas videmus. Regibus & orbis principibus cultus, an formidatus dicam? Certè apud eos autoritate magna vixit. Othonem quintum (quem Romanum imperatorem coronarat, repulſo Philippo Sueuiæ & Hetruriæ duce per Alemanos electo, vt in cap. Venerabilem. de elect.) anathemate poſteà *Innocentij geſta quædam.*

D notauit,

notauit,& imperij titulis priuauit, ſuffecto Frederico ſecundo, Siciliæ rege. Cenſus nomine quotannis auri pondo centum recepit ab Anglo rege Ioanne: qui (vt dixi) regnum totum ſuum dederat in feudum Papæ. Eccleſiam Græcam Romanæ conſentiente & ſubiectā habuit. Multas eius epiſtolas habes in his Gregorianis Decretalibus, ad epiſcopos & patriarchas Græcos: præcipuè celebrem illam, cuius initium, Solitæ. ſuprà de maio. & obed. quam ſcripſit ad Imperatorem Conſtantinopolitanum. Bis hic Innocentius diris deuouit Philippum Auguſtum Gallorum regem, totíque Franciæ ſacris interdixit. Habes in cap. 1. de poſtul. præl. Semel, quia rex vxorem Gelbergam repudiaſſet, altera ducta: item, & quòd Anglum Philippus bello perſequeretur, propter quod Epiſtolam hanc ſcripſit Prælatis Franciæ. Prælatos hîc accipe duntaxat ex vſu Canoniſtarū, qui gerunt eccleſiaſticas dignitates, ac ſunt in adminiſtratione, & in alios habent iuriſdictionem poteſtatemq́; quales Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & ſimiles. Hoc dico poſt gl. vltimam, & Panhor. in cap. 2. ſuprà hoc tit. Sic vt cœnobiarchę mendicantium cuſtodes rectè prælati nominētur, & eſſe dicantur in eccleſiaſtica dignitate: quod cum gl. 1. doctores annotant in cap. nullus. de elect. in 6. Ita ſumitur in rubricis, de his quæ fiunt à pręlato ſine conſ. cap. Ne prælati vices ſuas ſub an. cenſ. conc. de exceſſ. prælatorum. Sic habet epiſtola. Cap. 13.

Prælati.

Nouit ille qui nihil ignorat. & infrà.

Raymundus Barchinonenſis, (quo adiutore Gregorius nonus hos quinque libros compilauit) vir fuit (vt erant tempora) nec indoctus, nec indiligens. Ita opinor, ſed neſcio quo cōſilio, iſta in farragine truncas pleraſque decretales ediderit. Initium ſæpe decretalis mutilum ponit, quaſi noſtra referret hoc ſcire: poſt, omiſſis intermedijs, ad ea venit quæ infrà continet ipſa decretalis, rubricæ ſub qua poſita eſt, conuenientia: quæ ſola breuiùs decerpſiſſe præſtaſſet. Innocentius hîc eodem exorditur modo, quo & ad regem ſcribens in capp. Nouit. de officio leg. & de app. Nouit ille qui nihil ignorat. Periphraſis eſt dei. Id eſt, qui ſol⁹ omnia ſcit, qui ſecretorum & cognitor eſt, & iudex, can. Erubeſcant. 32. diſt. cuius oculis omnia nuda & aperta ſūt, Sap. 4. ad Hebr. Infrà verò quid haberetur, ignotū mihi, qui decretalem integram non legi. Aiunt in deſciſſa ab Inno. ſcriptū, quod

Compilator decretaliū.

quòd nunquam fuit in ſede beati Petri, qui regnum plus dilexerit eo:& quòd conſeruatio prærogatiuarum,& priuilegiorum coronæ Franciæ eſt exaltatio Papę & ſtabilimentum regni.Papam itaque puto dixiſſe,quòd nequaquam malo in Francos animo,ſed ad correptionem duntaxat,regem excommunicaſſet, Idque deum ſcire, qui ſcrutator eſt cordium:quod innuunt ea quæ ſequuntur adſcripta.

Non putet aliquis,quòd iuriſdictionem illuſtris regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus:quum ipſe iuriſdictionem noſtram nec velit,nec debeat impedire.

Non ſatis aptè (meo quidem iudicio) rex qui ſummo eſt in imperio,vocatur illuſtris,prout de illuſtribus recẽtiora Romanorum principum iura loquũtur. Nam tametſi titulus,illuſtris, omnium ſit ſupremus in dignitatibus,regi tamen non congruit. Ciuiles dignitates gradibus tribus diſtinguuntur,illuſtrium, ſpectabilium,& ſpecioſorum,ſiue clariſſimorum:diſtinguuntur ornamẽtis & inſignibus. Alciatum legas in.l ſpecioſas.ff.de verb. ſign.ſed hæ diſtinctiones non niſi principũ beneficio factę fuerunt,qui titulos & epitheta pro nutu ſuo dabant,vt alius diceretur illuſtris,alius clariſſimus,quandoque nomine ſolo,quandoque & honore: ornamenta alius prætoria, alius conſularia,vel ſenatoria geſtaret. Ipſe verò princeps ſupra tales omnes extat, exemptus populo omniúque ciuium numero:nec in exercitu cẽturio,triarius,aut tribunus:nec in ciuitate decurio, ſenator, vel conſul peculiariter dicendus. Qui regem nominat,omnia dixit. Papa dilectiſſimos & chariſſimos filios appellare ſolet reges,& alios quoſdam, vt annotatur in cap. Quàm graui. de cri.falſi. Hic abſtinuit(vt autumo)propter diſſidium & obiectum peccatum: prout eſt etiam in can.admonere.33.q.2. Nec tamẽ de rege tanto loqui voluit ſine aliqua honoris præfatione,vocauit hic,& in.d.duobus capp. Nouit.illuſtrem, id eſt, nobilem,inſignẽ,præpotentẽ,non obſcuri,ſed clari magniq; generis & nominis,quæ Latina eſt vocis ſignificatio. Quæ autem de iuriſdictione regis & Papæ dicuntur in hac prima cap.parte,ad ſex proximas poſt literam concluſiones pertinent,vbi explicabuntur. Secunda pars cap.ſic habet.

Quo ſenſu rex dicatur illuſtris.

Sed quum dominus dicat in Euangelio.

2.pars cap. Innocentius ex ſacris ſumpta ratione, veterumque princi-pum exemplo, & argumento datæ ſibi poteſtatis à deo, tribus his cauſis demonſtrat ſe iure ad hoc iudicium deſcendiſſe, vt pacem & concordiam ſeruaret inter duos Chriſtianos reges, præſertim quum iuraſſent. Singula videamus. Primò, Chriſtus voluit, vt inſanabilem & incorrigibilem domeſtica priuataq; correptione fratrem in nos peccantem deferremus ad eccleſiam: vt qui ſecretam contempſit admonitionem, ſaltem multitudinis & eorum qui præſunt autoritate reſipiſceret: quos ſi pertinaciter deſpiciat, tunc (ait ille) non alio loco habeatur, quàm ſi ſit ethnicus & publicanus. Quum autem rex Angliæ dixerit eccleſiæ, non auditum ſe fraternè res ſuas repetentē à rege Franciæ, debuit eccleſiæ præpoſitus cauſam cognoſcere, iuxtaque mandatum diuinum, morbi remedia quærere. Prima hæc Innocentij ratio. Euangelij verba ſunt apud Mattheum cap. 18.

Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.

Chriſtus noluit nos ad vindictam ſtatim proſilire, ſi quid in nos admiſſum eſt animaduerſione dignum: nec etiam voluit vt ſilentio noſtro, & patientia ſinamus impunè peccantem fratrem noſtrum perire: ſed, vade (ait) & argue eum inter te & ipſum ſolum. Adito ſolus ſolum, nulliſq; arbitris inter vos (ſi potes) rem componito. Solus ſcis peccaſſe, ergo palàm queri non debes, aut publicè corrigere, ne proditor ſis, & non corrector erroris. can. Si peccauerit 2. q. 1. Quod ſi publicum eſt, quod fecit, iam non in te magis, quàm in omnes peccauit: paſtorum tunc res agitur, quos deus dedit in opus miniſterij, ad ædificationem corporis Chriſti. Epheſ. 4. Quod ſi non peragant & tempeſtiuè & intempeſtiuè, Ve canibus impudicis, & mutis nō valentibus latrare. can. Sit rector. 43. diſt. can. Qui nec. 2. q. 7. Sed hîc perdifficilis occurrit, & perobſcura quæſtio, Num correptionem hanc fraternam Chriſtus ſuis præceperit? Et præcepiſſe reſpondet hic Panhor. aliter atque ſentiat Archid. in. d. can. Si peccauerit. Quid enim ſonant aliud Euangelij verba imperatiua, Vade, argue, corripe. Profectò hoc verum dicit, ſi fiat in tempore, quod eſt rerum omnium primum. Quis enim

An ſit præcepta nobis correptio fraterna.

mortuo

mortuo mederi velit, aut ſurdo canere? Sunt qui nec monitis, nec verberibus emendantur, imò peiores ſæpè reddũtur. In hac deplorata malitia ne dederis, quod ſanctũ eſt, canibus, nec ante porcos proiicias margaritas: nequando hi conculcent eas pedibus ſuis, & illi verſi in te lacerent te. Matth. 7. can. 2. diſt. 43. Nec apud Herodem Chriſtus miracula fecit, nec Pilatum docuit quid eſſet veritas. Et diſcipulis prædicat, omittite illos, quia cæci ſunt, & duces cæcorum. Igitur hîc, vt rebus in omnibus, illud optimum erit, ſi quis tempus ſpectauerit aptum. Qui delictum reprehenſurus eſt alienum, fratremque moniturus, habeat ob oculos vetera illa præcepta ſapientum, qui iubent tempori parere, & ſequi deum, & nihil nimis, & (quod eſt præcipuum) ſe noſcere. can. Qui ſine peccato eſt. 3. q. 7.

Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.

Hoc Euangelicæ correptionis proprium eſt, vt non ex odio vel amarulentia, ſed ex dilectione & charitate procedat: ac ſentiat is qui admonetur, ſuã tantùm ſalutẽ quæri, non famã fortunásve lædi. Hoc verè eſt lucro fratris conſulere, cuius erat anima peritura, ſi non pœnituiſſet. Fratrem verò accipias non naturâ ſolùm & ſanguine, ſed (quæ maior eſt coniunctio) ſpiritu & affectu. Patris vnius, qui in cœlis eſt, omnes quum filij per fidem & regenerationem ſimus, ergo nos fideles omnes fratres ſumus. can. Ad menſam. xj. q. 3. In ſacris appellatio proximi cõplectitur omnes omnino naturę noſtrę participes. can. Charitas eſt. §. Item proximos. de pœnit. diſt. 2. *Frater.* *Proximus.*

Si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos: vt in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum.

Qui ſecretæ fratris admonitioni non præbuerit aurem, nec offenſam reſarcierit, hominem rurſus adeundum Chriſtus voluit: ſed adhibito vno, aut altero, qui prodeſſe, non obeſſe, poſſit: vt duorum vel trium teſtimonio reuinci & confutari valeat, quum, iuxta mandatum diuinum, ad eccleſiam delatum fuerit eius peccatum. Idque fit admodùm prudenter, ne calumniator aut inuidus exiſtimetur, qui crimen denuntiat, quod probare nõ poteſt. Sic intellige, vt in ore duorum vel trium conſiſtat omne verbum, vt quod dicis, teſtibus non careat. Veterem legem re- *In ore duorum uel trium, &c.*

nouat hic Chriſtus,& Lucæ 17.& Io. 8.Moſes ſanxerat Deuter.17.In ore duorum vel trium teſtium peribit qui interficietur.Nemo occidatur,vno contra ſe teſtimonium dicente. Tritum illud eſt inter nos,Vox vnius, vox nullius.cap. Licet vniuerſali .de teſtib.

Quòd ſi non audierit,dic eccleſiæ.

Quis ordo ſeruetur in correptione fraterna.

Fraternæ correptionis ordo eſt,vt primò ſolus corripias ſolum:ſi nihil profeceris,aſſumas tecum fratrem alterum, ac tertium,vel corrigendi ſtudio,vel animo conueniendi ſub teſtibus. Quòd ſi tam pertinax & intractabilis eſt,vt nec duorum,triúm ve proborum & honeſtorum fratrum pudore,nec metu iudicij commoueatur,hoc iam(quod tertium ſupereſt) dicere oportet eccleſiæ, id eſt (ſi non veteratoribus quibuſdam maleuolentia ieiunis,ſed Chryſoſtomo & alijs orthodoxis credimus) eccleſiæ præſidibus.Et eccleſia eſt in prælato,& ĩ eccleſia prælat⁹,ait Cyprianus can.Scire.7.q.1.Hinc ortum ſumpſerunt illę denũtiationes apud veterem eccleſiam frequentiſſimæ.De quib⁹ infrà,quum de pontificum autoritate loquemur.

Eccleſia.

Si autem eccleſiam non audierit, ſit tibi velut ethnicus & publicanus.

Sic affici debemus(vt hic dicitur)erga peccantem ſine pœnitentia.Nam qui nec fraternis admonitionibus,nec duorum iudicio,nec primorum autoritate corrigitur, extremũ remediũ eſt,vt huic interdicatur fratrum communione, & expellatur è familiari noſtro conſortio.Quod etiam docuit Apoſtolus 2.ad Theſ.3.Subducatis vos ab omni fratre,qui inordinatè ſe gerit, & non iuxta inſtitutionẽ,quam accepit à nobis. Hac pœna (ne quis dilutam & leuem putet)neque atrocior vlla eſt,neque capitalior. Quid enim grauius(vt ſileã quod ἀνάθεμα factus,traditus eſt Satanę)quàm verſari inter homines,& hominum carere ſuffragijs? l.3. de Apoſt.C. qua maiorem nec habuit olim Gallia,quod Cæſar in.6.commentariorum refert. Ethnicis,& publicanis à Chriſto comparantur iſtiuſmodi rebelles & incorrigibiles extra eccleſiam pulſi. Natus ad AEtnæ radices, oppido Catana in Sicilia, Nicolaus de Tudeſchis(quem Panhormitanum cognominam⁹,ab adepto eius vrbis Archiepiſcopatu)multa hic de patrio illo monte comminiſcitur,in quem

Excommunicatio.

damnatos omnes & excommunicatos mortuos detrudi putauit:eſt enim (ait)os inferni, à quo nominantur Ethnici. Non conuenit ὀρθογραφία. A Etna Siciliæ mons(& hunc Hoſtienſis tranſtulit in Arabiam) nocturnis mirus incendijs, ait Plinius, lib.3.à quo Aetnæos ignes Claudianus in raptu Proſerpinæ nominat,& Aug.de ciu.dei.cap.vlt.lib.3.ἔθνος,gens & natio,vnde Ethnicus. Publicani ſunt publicè peccantes, ex autoritate Inno.Hoſti.Io.And.atque aliorũ,qui meliora tamen viderunt. Si non rectius legum ſẽſum, quàm legum verba quędam teneret iſti boni ſanè,& docti patres,fruſtrà ſuis voluminibus occuparent orbem:non ideò tamen minus mihi venerabiles. Nam quantulus hic næuus in tam pulchris corporibus? ἐθνικός gentilem denotat,& ſic interpretatur Aug.can.nonne.1.q.1.quæ vox ſacrarum literarum ſcriptoribus ſignificat omnes idolorũ cultores:qui, relicto vero & vno deo, putant eſſe alios deos multos: quanquam Latinis auribus aliud quiddam ſonet. Publicani appellantur,qui quid à fiſco conducunt.l.1.de public.ff.id eſt, qui vectigalia redimunt, vnde & redemptores dicuntur in .l. Cæſar.eodem tit. genus hominum olim infame apud Iudæos. Atque vt hanc comparationem intelligas. Sicuti erant Ethnici & Publicani,veritatem & legem ignorantes, ſemoti quondam à populo Iudaico,templóque dei.ſic excommunicati ſunt ſeparati à populo Chriſti, & ſacramentis eccleſiæ ſuæ. Vna hac in re pares quidẽ illis: modis verò multis alijs deterior eſt & grauior excommunicatorum conditio. Tradit Hieronymus hunc in euangeliſtæ locum, Maioris eſſe deteſtinationis eum qui ſub nomine fidelis agit opera infidelium, quàm hi qui apertè gentiles ſunt.Cum excommunicato neque orare,neque loqui,neq; veſci licet: ad mẽſam verò paganorum ſi volueris ire, ſine vlla prohibitione permittitur.can.Ad menſam.can.Cum excommunicato.xj.q.3. can.Infideles.23.q.4.Sufficiant hæc paucula iuriſperito,ad ſancti euangelij verba explicanda: quibus præmiſſis,ſubſumit Innocentius.

Ethnicus. *Gentiles.* *Publicanus.* *Odioſior eſt excommunicatus quàm gentilis.*

Et (ſubaudi, Quum) Rex Angliæ ſit paratus ſufficienter oſtendere, quòd rex Francorum peccat in ipſum.

Quid eſt peccare in aliquem? Eſt illum quouis modo per

Duobus modis peccatur in aliquem. iniuriam ſiue in corpore, ſiue in bonis offendere. Cuiuſmodi offenſas inuicem condonare tenemur. Nam præcipitur, vt debitoribus noſtris debita remittamus, ſicuti noſtra nobis à
1. deo remitti deſideramus. Cæterùm, quia qui peccant in homines, in Deum quoque peccant, cuius mandata contemnunt: ideò Chriſtus tales admoneri, corripi, iudicio etiam perſequi apud eccleſiam permiſit, modò ſemper abſit vlciſcendi libido, fraternæ ſalutis adſit deſiderium, quæ procul dubio ſuæ culpæ relicta periret, ſi non quacunque valemus arte lapſæ ſuccurreretur, ad quod obligamur. Nempe delinquit non mediocriter *Remiſſio iniuriarum.* qui vel ignauia, vel præſumptione ſua cœleſtis domini debita reſoluit. can. Si is qui. 23. q. 4. Qui læſus, aut offenſus emendat & punit offendētem ſe, æquè eſt in eum miſericors & benignus, ac ſi noxam & contumeliam remiſiſſet. Eleeſymona vocatur ab Aug. can. Et qui emendat. 45. diſt. Et plectendo (ait idem) & ignoſcendo hoc ſolum bene agitur, vt vita hominum corrigatur. can. Prodeſt. 23. q. 5. Cauendum ſummopere tamē, ne iudiciorum, & caſtigationum, & denuntiationum prætextu noſtra exerceamus odia. Nobis enim licitū nō eſt odio habere quemquam, ne inimicos quidē: quoties reſipiſcit, qui peccarat in nos, hunc immemores omnis iniuriæ recipere debemus in gratiam. Quo ſenſu Fabiani Papę decretum exaudias in can. Si quis cōtriſtatus. & quæ annotantur inibi. 90. diſt. Nemo diuiniùs hoc ipſum nec clariùs expreſſit Auguſtino, decimo ſexto ſermone de verbis Domini, in illud Chriſti verbum ſuprà expoſitum. *Si peccauerit in te &c.* Quando in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, nō pro nobis (nam glorioſum eſt iniurias obliuiſci) ſed obliuiſcere iniuriam tuam, non vulnus fratris tui: ille iniuriam fecit, & iniuriam faciēdo graui ſeipſum vulnere per-
2. cuſſit. Auguſti. hæc. Addo his conueniēter eum quoque peccare in nos, qui nobis hoc ſcientibus, Chriſti Dei præceptorum trangreſſor eſt. In te peccat (ait Aug.) quem tu ſcis peccare. d. can. Si peccauerit. Grande ſcelus, non tollere huiuſmodi hominem de medio Chriſti grege, ne diutius admiſtus alios inficiat contagio ſuo. Obſtinatè peccantem ſi celas, ſi non mones, ſi monitione non proficiente, eccleſiæ non denūtias, ipſe peccas. Leuitic. 5. cap. *Si peccauerit anima, & audierit vocem adiurantis, teſtisque fuerit quod ipſe vidit, aut conſcius eſt, ſi*

non

non indicauerit, portabit iniquitatem ſuam. Prohibet Paulus, ne communicemus peccatis alienis. 1. ad Timotheum.5. Vt puto, non magis communicat qui male pariter agit, quàm qui male acta reticet, quibus ex officio vel charitate christiana debet, aut poteſt occurrere. Qui non reſiſtit erroribus, conſentit: & opprimit veritatem, qui quum poſſit non defendit. can. Error. 83 diſt. Auguſti. quo ſuprà citato ſermone 16. Tu quum vides perire & negligis, peior es tacendo, quàm ille conuiciando. Veruntamen (quod ſuprà monui, & celebratur in ſapientum apophthegmatis) vbique tempus noſcendum. Inopportunè arguit, hortatur, increpat, qui ſine ſpe profectus hoc facit. Ipſa ſe deſtruit hortandi, monendíve importunitas, oportunitatem ſi neſcit. in fi. can. 1. diſt. 43. *Cõmunicare peccatis alienis.*

Et ipſe circa eum in correptione proceſſit ſecundum regulam euangelicam: & tandem, quia nullo modo profecit, dixit eccleſiæ.

Rex Angliæ ſe habuit erga Regem Franciæ vt lex præcipit diuina, familiariter & amicè monens, vt ab offenſa deſiſteret: quod quum Gallus non faceret, Anglus eccleſiam ſubſidio ſibi vocauit. Annota quod eſt in præcedenti verſ. Quum rex Angliæ &c. quo ex loco, & hinc patet, quòd publicè denuncians probare debet obſeruaſſe ſe formam in denunciando præſcriptam (videlicet) vt ſolus ſolũ monuerit: (qua in re creditur ipſi iuramento) vt vnum, vel duos adhibuerit monitioni ſecundæ: (hoc vnius teſtimonio, accedente iam denuntiantis iuramento, probatur) officio prælati reliqua expediuntur. Chriſtus hunc ordinem docuit in euangelio. Hoc fonte fluxit, quod iure cauetur, Monitionem ſemper præcedere debere denunciationem. cap. 2. de accuſ. Iſthæc inter duos reges per epiſtolas & nuntios, & oratores acta credo: raro enim duo principes pariter cõueniunt, vt ſoli colloquantur, maximè belli tẽpore. Igitur admonitio fraterna fit etiam rectè literis miſſis ad offendentẽ & delinquẽtẽ: quomodo graues & ſancti viri plerunq; ſunt vſi. *Denuntiandi formula.* *Correctio & monitio fraterna fit epiſtolis.*

Quomodo nos, qui ſumus ad regimen vniuerſalis eccleſiæ ſuperna diſpoſitione vocati, mandatum diuinum poſſumus non exaudire, vt non procedamus ſecundum formam ipſius?

E (Quiſi

(Quaſi dicat, Nec poſſumus, nec debemus.) Vniuerſalis eccleſia eſt omnium Chriſti fidelium congregatio, vbicunque locorum degant, ἐκκλησία καθολική, extra quam nulla ſalus. Habet vnaquæque prouincia paſtorem ſuum, & eccleſiam ſuam: vnaquæque ciuitas: vnaquæque parochia: quarum omnium curam pontifex Romanus in vniuerſum gerit: ſunt alij tantùm in partẽ ſolicitudinis vocati. can. decreto. & ſeq. 2. q. 6. Graue hoc munus: neq; enim facile eſt (ait Hieronymus) ſtare loco Pauli, tenere gradum Petri iam cum Chriſto regnantium. can. Non omnes. 2. q. 7. Suos duntaxat intra ſuas diœceſes alij, cuncta per mundum regit ille. Quod igitur epiſcoporum nullus feciſſet, Papa facit, autoritate ſua reuocans à bello Regem.

Eccleſia catholica.

Niſi forſitan coram nobis, vel legato noſtro ſufficientem in contrarium rationem oſtendat.

Ratio nulla dari poteſt, cur ad mandati diuini normam viuere non debeamus, ac procedere ſemper. Hoc eſſet excuſare peccata noſtra. Dicere voluit Inno. Niſi rex Franciæ Papam probet in reges talem poteſtatem non habere. Quæ probatio coram ipſo Papa facienda eſt: eius enim eſt æſtimare an ſua ſit iuriſdictio. l. v. ff. de Iudi.

Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipſum ſpectat iudicium.

Anglus Aquitaniam & Normaniam à Gallo pridem acceperat in feudum: quas prouincias ab infideli Vaſſallo Philipp. rex armis repetebat. Hoſtis enim poſt Arcturum necatum iudicatus fuerat Anglus à Paribus Francię: conſtitutumq;, eum omni ſuo iure excidiſſe, ac prædia commiſſa, quibus manum licebat inijcere. Dicit Inno. minime ſe iudicaturum de huiuſmodi controuerſia, quæ ſolùm apud feudi Dominum & Pares curiæ dirimenda eſt. lib. 2. feud. de contr. feud. apud par. ter. & de milit. vaſſ. qui cont. eſt.

(Niſi fortè iuri communi per ſpeciale priuilegium, vel contrariam conſuetudinem aliquid ſit detractum.)

Feudi iudex.

Feudi competens Iudex eſt ſolus Dominus. cap. Ceterum, ſuprà hoc tit. cap. Ex tranſmiſſa. & ſeq. de for. comp. Hoc ius cõ-

mune

mune eſt: cui derogatur per priuilegium(ſi Dominus alium voluit eſſe feudi iudicem) & per conſuetudinem longam. Vtrunque horum dat iuriſdictionem;quod memoriâ teneas. Infrà repetam.

Sed(intendimus, ſupple)decernere de peccato, cuius ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura, quam in quemlibet exercere poſſumus, & debemus.

Certiſſimum Chriſtianis omnibus eſt,quod hîc dicitur, Papam de peccatis omnium iudicare, delicta cuiuſq; inueſtigare, & punire poſſe. Hæc eſt illa clauium poteſtas, quam Chriſtus Petro promiſit ac dedit, Matth.16.& Io.20. De quibus clauib⁹ agunt in prin. diſt.xx. Vt in rebus prophanis, & ciuilibus clauiũ traditio dominij ac poſſeſſionis traditionem ſignificat. l. Clauibus.ff.de conc.empt. Ita in ſcripturis claues deſignant autoritatem quandam ſummam, gubernationem, & adminiſtrationem in domo dei. Clauis eſt illa ſacerdotalis poteſtas annuntiandi euangelij, conſecrandi corpus Chriſti, remittendi & retinendi peccata, ligãdi ac ſoluẽdi, nõ perperàm & indiſcriminatim: ſed adhibito iudicio, & cũ ſcientia, per quã inter leprã, & nõ leprã diſcernatur. Verè igitur morũ cuiuſq; cenſorem ſe eſſe dixit hîc Innocẽtius, vt corripiat, inſtituat, corrigat iniquè & peruerſè viuentes. Sumptæ ſunt hinc 2.& 7.concl.& ex eo quod eſt infrà, in verſ. Quum enim non humanæ &c. Sequitur altera cauſa præſentis cognitionis.

Clauiũ poteſtas.

Clauis quid

Non igitur iniurioſum ſibi debet regia dignitas reputare, ſi ſuper hoc, apoſtolico iudicio ſe committat: quum Valẽtinianus inclytus imperator ſuffraganeis eccleſiæ Mediolanenſis dixiſſe legatur.

Pontifici regem dicto audientem eſſe debere oſtendit hîc Innocentius, aliorum magnorum principum exemplo, qui lubentes eccleſiæ iugo colla ſubmiſerunt, & epiſcopis ſuis paruerunt. De quo loquitur hîc imperatore, fuit Valentinianus primus, qui fratrem ſuum Valentem Imperij conſortem fecit, quem Conſtantinopoli

Valentinianus primus imperator.

ſtantinopoli relinquens ad Orientis imperium, venit in Italiam: dumque Mediolani ageret, extinctus eſt Auxentius Arianorũ præſul. Cœptum, variantibus ſtudijs, certari de futuro antiſtite, dum pars Arianę factionis, pars orthodoxorũ ſimilem ſibi flagitat epiſcopum. Ne res in tumultum exiret, Valentinianus epiſcopis & ſacerdotibus ad electionem conuocatis eā dixit, quæ recitat hîc Innocentius, antè per Gratianum poſita in can. Valentinianus. 63. diſt. ſumpta omnia ex hiſtoriæ eccleſiaſticæ tripartitæ libro ſeptimo. Quæ cōtigerunt anno Chriſti nati. 378. Imperatoris verba ex Theodorito in dicto libro. 7. ſunt.

Verba Valetiniani ad ſacerdotes.

Talem in pontificali conſtituite ſede, cui & nos, qui gubernamus imperium, ſyncerè noſtra capita ſubmittamus. Et cuius monita, dum tanquàm homines deliquerimus, neceſſariò veluti curantis medicamenta ſuſcipiamus.

Hunc imperatorem Sozomenus ſuprà citato libro virum optimum vocat, & apice principali digniſſimum. Quandiu vixit, religionem Chriſtianam ſyncerè coluit. Erga Chriſti ſacerdotes valde benignus, & hos imprimis venerans, toto ſuo imperio (quod fuit annorum xi.) Hoc teſtantur, quæ geſſit. Alia prætermitto in hiſtorijs quærenda. Vides hîc orationem, qua nulla verè Chriſtiano principi conuenientiorem: vix dum tamen erat baptizatus, & erat duarum vxorum maritus imperator. Illa autem quum dixiſſet, petijt vniuerſa ſynodus, vt ipſe præficiendum ſolus eligeret: ſupra vos eſt (reſpondit) talis electio: vos enim gratia diuina potiti, & illo ſplendore fulgentes, melius poteritis eligere. Colligis hinc illis temporibus Epiſcoporum & Archiepiſcoporum electiones ad clerum ſpectaſſe: quas dum poſteà ſibi pauci præſumpſerunt, eas, & meritò, prorſus amiſerunt. Innocentius hîc de ſuo ſuffraganeos nominat: neque enim eſt in Tripartita, quæ tantùm ſacerdotum & epiſcoporum meminit. Omitto non Latinorum autoritate, ſed aliorum vſu vocē ſuffraganei noſtrā factam. Quod verò eſt in textu: Cui noſtra capita ſubmittamus: oſtendit imperatores, & principes omnes nedum Papæ, ſed epiſcopo ſubijci, quum de peccatis & ſalute animę agitur: addo, & parocho ſuo preſbytero,

Rex preſbiteris ſubiectus.

ro, iuxta notata in cap.omnis.de pœnit.Peccati,non peccantis autoritas attenditur: & vnusquiſque non hominum,ſed rerum pondere iudicandus eſt. Leuit.4.cap. Si peccauerit princeps, poſteà intellexerit peccatum ſuum, rogabit pro eo ſacerdos, & pro peccato ei⁹,& dimittetur ei.Magna hęc ſacerdotalis dignitas,cui reges ſubijciuntur.can.duo ſunt.96.diſt.

Nec illud omittamus, quod Theodoſius ſtatuit imperator.

Exemplum alterum,quo duo præpotentes principes agnoſcunt ſupra ſe poſitam eccleſiam. Hic eſt ille Theodoſius,quem poëta Claudianus ita ſalutat:O nimium dilecte deo,cui fundit ab antris AEolus armatas hyemes,cui militat æther,Et coniurati veniunt ad claſſica venti. Cui defuncto Mediolani diuus Ambroſius orationem funebrem dixit, in qua clementiſſimus imperator,imperator pius,miſericors,fidelis,& auguſtę memoriæ Theodoſius,plenus timoris dei, plenus miſericordię nũcupatur:qui quũ iã corpore ſolueretur, magis de ſtatu eccleſiarũ, quàm de ſuis periculis angebatur.Hęc ille.O ſanctũ imperatorem? De quo vide nonum librum hiſtoriæ tripartitæ,& vndecimum eccleſiaſticæ Ruffini. Et in can. Quum apud. xj. q.3. Cœpit imperare cum Gratiano Valentiniani filio anno domini 382. *Theodoſius imperator.*

Et quod Carolus innouauit,de cuius genere Rex ipſe noſcitur deſcendiſſe.

Carolus Francorum rex xxiij.cui Magni cognomen tribuunt(contrario patris agnomine,qui paruus dicebatur)pius admodùm fuiſſe dicitur,ac religioſus princeps,viris doctis & ſanctis ſacerdotibus plurimum deditus.Eccleſijs vbique multa cõtulit,& eccleſiaſticis priuilegia.Vetera etiam,iamq; abolita renouans,quale hic vnum refertur. Ex Carolo deſcendiſſe Philippum Auguſtum ſcribit Inno. quod accipe non paterno, ſed materno genere,valde adhuc remoto.Ludouicus quintus paulò vltra annum vnum quum regnaſſet,abſque liberis obijt, rex generis Caroli Magni, & Francorum poſtremus. Poſt cuius mortem Hugo Capetus Pariſiorum comes vi, & militum fauore primus Gallus Gallorum rex creatur,anno Chriſti 988. victo vinctóque cum vxore & filijs neſcio quo Carolo Braban- *Carolus Magnus.* *Philippi Auguſti genus.*

tio, defunct Ludouici patruo. Ex Hugone natus eſt Robertus: ex quo Henricus, qui Philippum primum genuit. Vnde Ludouicus Craſſus, cuius filius Ludouicus ſeptimus: inde perpetua generis ſerie Philippus Auguſtus, qui regnauit annis 43. Nihil hæc ad Francos, aut Carolum magnum. De matre nullam ſatis apertam rationem inire poſſum, niſi quod aiunt Othonem quendam Theutonē (quem primi & magni cognomine donāt) à Carolo magno iuſta ſobole procreatū Alemanis imperaſſe: qui ex vxore ſua Adalheide, Rodulphi Burgundionum regis filia, genuit Adalheidem matris nomine: quam dedit vxorem Hugoni maiori, comiti Pariſiorum: ex quo matrimonio natus eſt Hugo Gallus, qui Theutones regno expulit. Sextus fuit ab illa Adalheide Philippus Auguſtus, Otho verò pater Adalheidis non propiore gradu Carolū Magnū contingebat: & tamen Auguſti genus refertur ad Carolū. Igitur longè natus ex natis, & natorum natis alicuius, etiam per lineam tantùm fœmininā, dicitur ex genere illius deſcendiſſe. Sufficit appellatione matris ac genere quem deſignari, ait Bart. in fi. l. Si in rem. ff. de rei vend. Et. l. 3. de poſth. quod notandum mandat. Imperatoria conſtitutio ſic habet.

Lex Theodoſiana.

Quicunque litem habens (ſiue petitor fuerit, ſiue reus, ſiue in initio litis, ſiue decurſis temporum curriculis, quum negocium peroratur, & quum iam cœperit promi ſententia) ſi iudicium elegerit Sacroſanctæ ſedis antiſtitis, ilico ſine aliqua dubitatione (etiam ſi pars alia refragetur) ad epiſcoporum iudicium cum ſermone litigātium dirigatur.

Hæc lex Theodoſij Magni recēſetur à Gratiano xj. q. 1. can. Quicunque. & alia quædam nō abſimilis. can. ſeq. Quæ quum in deſuetudinem abijſſent, à Carolo magno repetitæ ſunt, iuſſæque ſeruari omnibus in locis ſuæ ditionis, vt eſt ibidem ex eius capitularibus, de quibus nos infrà. Miror in Theodoſiano codice non ineſſe, vt nec illa eiuſdem quæ eſt in codice Iuſtinianeo. Epiſcopale iudicium. tit. de Epiſcop. aud. quam ſecundò

latam

latam, velut ad huius interpretationem ſenſus indicat. Epitome eſt. Cuique licet, & quocunque litis tempore ad eccleſiæ iudicium confugere, eiuſque iuriſdictionem prorogare. Apud Vlpianum. l. 2. ff. de Iudi. Prorogare iuriſdictionem, eſt ordinariam iudicandi poteſtatem, quam quis habet, ad ſimilem extendere. Quo ſignificatu Cicero ſæpè dixit prorogare imperium, prorogare prouincias. i. prolongare alicuius autoritatem, & poteſtatem, quam habebat, in maius tempus. De iuriſdictionum prorogatione Bart. inibi multa, quibus non eſt hic locus. Audis imperatores potentiſſimos quidē illos, verùm pijſſimos à ſuis tribunalibus etiam rerum prophanarum controuerſias & inter homines prophanos ad eccleſiā transferre: cui nunc penè ſacrorum cognitio denegatur, vſque adeò noſtros immutarunt tempora mores. Tum ſacerdotes nihil aliud erant, quàm ſacerdotes ſacra dantes, & ſacra docentes: quibus alij perquàm lubētes, nedum bona & corpora, ſed animas ipſas committebant. Modò indignum viſum multis, tantam clericorum in rebus ſecularibus ferre licentiam: taceo de animis: præſtat enim vanas & ſtultas aliquorum deflere opiniones, quàm mouere nunc olentem hanc camarinam. Innocentius hoc imperatorum reſcriptum ſuo iam tempore ſciebat abrogatum, tamen allegat, vt regum exemplo regi perſuadeat obediēdum eccleſiæ. Validius enim creditur, quod exemplis, quàm quod verbis demonſtratur. can. de quibus. 20. diſt. can. vides. 23. q. 6. Hæc circa duas Theodoſianas leges. Sequitur in litera.

Prorogatur à laicis eccleſiæ iuriſdictio.

Quum enim non humanæ conſtitutioni, ſed diuinæ potius innitamur, (quia poteſtas noſtra non eſt ex homine, ſed ex deo) nullus, qui ſit ſanæ mentis, ignorat, quin ad officium noſtrū ſpectet de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Chriſtianum.

Tertia ratio cur regi pontifex imperet. Hæc verè eſt plenitudo poteſtatis, ſolicitudo (videlicet) ſeu cura generalis omniū eccleſiarum & animarum, legis diuinæ prædicatio, & ſecundum illam ſacramētorum adminiſtratio. Vt quiſquis hac præditus eſt, arguat, inſtet opportunè, importunè, obſecret, exhor-

Plenitudo poteſtatis.

tetur cum omni quidem lenitate & doctrina.2. ad Timoth. 4. Sed & cũ omni imperio,ad Titum.2.Ceſſanti pœna de futura non eſt. Neceſſitas enim mihi incumbit(ait Paulus) Vę autem mihi niſi euangelizem.1.ad Corinth.9.Certè omnis poteſtas à deo eſt,can.Quæſitum.23.q. 4.ſed hominum miniſterio demandatur principibus. Cæterùm nõ ab alio quàm ab ipſo domino dictum eſt Petro & ſucceſſoribus,Quęcunque ligaueris ſuper terram,erunt in cœlis ligata: & quæ ſolueris,erunt ſoluta. Nihil hic humanum.Propterea dictum bene,quia poteſtas noſtra non eſt ex homine, ſed ex deo: id eſt, non ab hominibus neque per homines,ſed per Ieſum Chriſtum ac deum patrem, vt de ſe loquitur Paulus,ad Galat.1.

Non eſt poteſtas niſi à deo.

Et ſi correptionem contempſerit,per eccleſiaſticam diſtrictionem coërcere.

Poteſtas coërcendi criminoſos, ſine vi tamen atroci,vocatur à noſtris clauis iuriſdictionis: quæ adhibetur,non vt homo, ſed vt error ipſe tollatur: non vt homines lædantur, ſed corrigantur: non vt perdantur, ſed vt inſtruantur,ait Aug. Hæc eſt illa poteſtas excommunicandi publicè delinquentes, & rurſus eoſdem abſoluendi ac reconciliandi, ſi conuerſi abſolutionem petant.Eccleſiaſticam diſtrictionem nominat excõmunicationem.Latinis,qui valde ligat,diſtringit: & per metaphoram,qui nobis malè precatur,aut male dicit,etiã diſtringit. Hinc eſt eccleſiaſticæ cenſuræ diſtrictione arctari. cap.1. de offi. vic.in. 6. Cenſuræ vox patet latius.cap.Quęrenti.de verb.ſig.

Clauis iuriſdictionis.

Diſtrictio eccleſiaſtica

Sed forſan dicetur, quòd aliter cum regibus, & aliter cum aliis eſt agendum. Cæterùm ſcriptum nouimus in lege diuina,Ita magnum iudicabis, vt paruum, nec erit apud te acceptio perſonarum.

Obijcit,& obiectum diluit. Quatenus autem rerum,perſonarumq; circunſtantias iudex perpendere debeat,explicabitur vltimis duabus concluſionibus: item & quæ ſit acceptio perſonarum.De ſunt hic multa,præcipue nomen legatorum, & forma procedendi aduerſus regem: quæ non magno certè iudicio Raymundus ab integra deſcidit,ſubiungens quæ infrà erant

rant

rant,(videlicet.)

Quum autem hoc modo procedere valeamus ſuper quolibet criminali peccato, vt peccatorem reuocemus à vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem.

Sic ratiocinatur Inno. *Si* propter admiſſum quodcunq; peccatum mortale,vel propter pacem,pactaque neglecta,& fidem non ſeruatam,noſtra iuriſdictione & poteſtate diſtringere delinquentes poſſumus,tametſi iuratum nihil ſit:multomagis poterimus de contempta iuriſiurandi religione cognoſcere,quum iuſiurandum omne pendeat à ſacris,& eccleſia.Legis hîc excõmunicationis finem, vt peccatorem reuocemus, &c.quod Apoſtolus ait,vt ſpiritus ſalu⁹ ſit in die domini Ieſu .1.ad Corint, 5.Et medicinalis dicitur non eradicans,ſed plantans excõmunicatio.cap.1.de ſent.exc.in.6.

Finis excõmuniatiomis.

Præcipuè quum contra pacem peccatur, quæ eſt vinculum charitatis.

Pax eſt opus iuſticiæ.Iſaiæ.32. Iuſticia autem ſuum cuique reddit.Pax eſt concordia cum proximo noſtro, quando remittimus ex animo per Chriſtianã charitatẽ,quicquid ille deliquit in nos:vnde hîc appellatur vinculum charitatis. Nectit enim & iungit amore mutuò fratres. Suos eſſe pacis amatores Chriſtus vbique voluit.Inquire pacem & perſequere eam .1.Petri.3. Vnde ſacerdotibus & epiſcopis omnibus per ſuas quibuſq; eccleſias mandatum,vt diſcordes fideles ad pacem reuocare diligenter ſtudeant aut ratione,aut poteſtate.can.1. & integra ferè 90.diſt. Huc ſecunda concluſio pertinet.

Pax.

Poſtremò, quum inter reges ipſos reformata fuerint pacis fœdera, & vtrinque præſtito proprio iuramento firmata, quæ tamen vſque ad tempus prætaxatum ſeruata non fuerunt.

Inter Philippum Auguſtum,& Richardum regem Anglum dudum pax facta fuerat, vtrinq; datis & acceptis obſidibus ad

F arcem

arcem Guallardi in ripa Sequanæ. Deinde Richardo mortuo ſucceſſit eius frater Ioannes (quem Sine terra cognominabant) qui pacis renouandæ cauſa non procul Vernone ad inſulā Andelinam Philippum regem conuenit: ibique pax denuò firmata eſt, & iurata, adiectis nouis quibuſdam conditionibus, vti eſt in annalibus noſtris. Ita ſunt accipienda hîc Innocentij verba, dicentis, quòd inter reges ipſos reformata fuerunt pacis fœdera. Iuxta prædicta Papam vides cognoſcere de pace fracta, & violatoribus eius: quos ad ſeruandam pacem compellit, idque iure. Bart. autor eſt, prouinciarum præſides cogere poſſe prouinciales, & ciues diſcordes ac bellantes ad pacem faciēdam. Hoc dixit in l. Congruit. ff. de offi. præſ. quod hîc repetit Panhor. & in cap. Quum inter. R. de elect.

Coguntur reges ad pacem.

Nunquid non poterimus de iuramenti religione cognoſcere (quod ad iudicium eccleſię non eſt dubium pertinere) vt rupta pacis fœdera reformentur?

Huiuſmodi interrogationes exigunt affirmatiuam reſponſionem: quaſi diceret, poterimus. Cauſam quamcunque colligis deferri ad eccleſiam ratione iuramenti, defectus iuſticiæ, pacis, & peccati. in. 2. &. 7. cōcluſ. de hoc diſputatur. Pars vltima Decretalis epiſtolæ ſupereſt, quæ ſequitur.

Quattuor de cauſis ad eccleſiæ iudidum uenitur.

Pars. 3. cap.

Ne ergo tantam diſcordiam videamur ſub diſsimulatione fouere, prædicto legato dedimus in pręceptis: & iuxta formam ſibi datam à nobis, procedere non omittat.

In Exegeſi docui prçlatorum negligentiā crimen eſſe capitale: quod & probaui ſuprà, exponēs verſ. Si peccauerit. & verſ. Quum enim. Non minùs in prælato mortalis eſt diſſimulatio, quum ſilentio fingit ſe neſcire quod ſcit. Hoc verè eſt alienis peccatis conſcientiam ſuam polluere, cōniuentibus oculis peccantem fratrem pręterire. Eos delinquentibus fauere interpretamur, qui quum poſſint, manifeſto facinori deſinunt obuiare. cap. Quantæ. de ſent. exc.

Diſsimulatio prælati.

Niſi Rex ipſe ſolidam pacem cum prædicto rege

ꝯto rege reformet,vel ſaltem humiliter patiatur,vt idem Otho, & Archiepiſcopus Bituricenſis de plano cognoſcant.

Aut rex Gallus pacem faciat cum Anglo: aut coram delegatis noſtris cauſam reuerenter dicat, cur nolit, & reſpondeat obiectis per Anglum: aut cenſuram noſtram contumax expectet.hæc mandatorum ſumma.Sed quid hoc verbi,de plano cognoſcant? Solemnibus iudiciorum omiſſis cognoſcant, nullo ſtrepitu,nulla ſolenni forma iudicij ſeruata:verùm ſimpliciter, & ex bona fide,prout ipſa rei æquitas,iudicisque religio ſuadet: ita vt veritatis indagatio non omittatur.Sic interpretatur Clemens quintus in cle.Sæpe de verb.ſign.Cuius in Pandectis & omni iure frequentiſſimus vſus.huic opponitur, pro tribunali cognoſcere. Marcellus.l.1 ad s. c. Turp. Abolitio priuatim à præſidibus poſtulari ſolet,itē pro tribunali,non de plano. Paulus in h.l. Vnius .ff.de quæſt.Cuſtodiæ non ſolùm pro tribunali,ſed & de plano audire poſſunt. Inuenies alibi duo hæc ex oppoſito dicta: de plano,quaſi ex inferiore populi loco,in quo paſſim verſantur omnes: at pro tribunali,eſt è ſede & loco eminentiore magiſtratuum. *De plano & pro tribunali cognoſcere.*

Verùm iuſta ſit querimonia, quam contra eum coram eccleſia proponit rex Anglorum.

Denuntiatio eſt alicuius criminis expoſtulatio,vel apud eum ipſum cui deliquit,vel apud alium, tendēs vt crimen expietur. Qui de alio præſente , abſentéve queritur, expoſtulare dicitur apud Latinos.i. lamentari.Ab accuſando differt,quæ ſolenniū iudiciorum vox eſt.Diſcrimen hoc indicat Vlp.l.1.§.Quod autem.ff.de offi.præf.vrb.Aptè hic igitur denūtiatio vocatur querimonia,quando nos de alterius iniuria conquerimur: ſi apud eum ipſum qui fecit iniuriam, tunc eſt Euangelica : ſi apud iudicem,tunc eſt canonica ſeu iudicialis denuntiatio.Qualiſcunque verò nos moneat, ſiue denuntiet (citra tamen iudiciorum contentionem)audiendus eſt,mœchus,infamis,conſcius criminis,& huiuſmodi. Nam quum de ſalute animæ tractatur, iudicem ſui quiſq; facere debet animum præſidem,& in conſcientiam deſcendere,quæ (vetere prouerbio)pro mille teſtibus eſt. *Denūtiatio* *Expoſtulare, Accuſare.* *Euangelica & Canonica denuntiatio.*

Non quis dicat igitur,ſed quid dicatur,aſpiciendum,& agnoſcenda culpa eſt.Cæterùm,propter huiuſmodi ſolam criminoſorum denuntiationem iudex neminem perſequi debet ad pœnam vel ſupplicium, ſi non adſit rei confeſſio. Quod aſſero poſt Auguſtinum in can.Hoc videtur.22.q.5.Neque enim iura volunt, vt vni,quacunque ſit in dignitate vel officio,credatur in alterius præiudicium.Per hoc exponuntur vltima literæ noſtræ verba,quæ ſequuntur.

Vel eius(regis Philippi) exceptio ſit legitima, quam contra eum (regem Angliæ) per ſuas nobis literas duxit exprimendam.

Excipitur contra denuntiationem.

No. Aduerſus denuntiationem iudicialem admittitur exceptio (puta) quòd non monuit, quòd odio motus & inuidia defert,quòd turpi vita ſit & moribus, quòd bonos calumniari ſolet,quòd iniuſtè queritur de nobis,quũ nec illũ offẽderimus, nec ſuum aliquid habeamus,& ſimilia multa: contra quæ ſi replicetur, omnia iudex de plano &.ſummatim curet expedienda. Quibus in rebus audiendis ſubtilitates à iudicibus non admittantur : nempe agitur de ſalute noſtra,cui (ſicuti nec bonæ fidei) non congruit de apicibus iuris diſputare.l. *Si fideiuſſor* .§.quædam.ff.mand. Non plura circa literam; & ſcholiorum meminiſſe oportet,quibus breuitas conuenit,

IN DECRETALEM commonitoria.

RESTAT opuſculi noſtri pars ea, qua ſtatuere pro viribus enitemur, Ariſtocratiā ciuitatis Chriſtianę quàm poterimus ſolidis, & firmis rationum autoritatumque fundamentis. Conantē deus adiuuet. Orbis totus Chriſtianus vna nobis ciuitas habetur, in qua ciuium quædam mutua debet eſſe conuerſatio, mutuumque auxlium, commodorum etiam atque incommodorum pariter & hominum communio, ac participatio ſecundum conuenientē vnicuique menſuram. Hęc eſt quam nomino ciuitatem Chriſtianam, quæ eſt multitudo, & iuris conſenſu & vtilitatis communione ſociata: quæ non linguis aut nationibus, non prouincijs diſtincta eſt, non mœnibus aut foſſis, non fluminibus incluſa. Nos vnum ſumus vniuerſi. ad Gal. 3. omnes enim vos vnus eſt in Chriſto Ieſu. Idem Io. 18. ad Ro. 12. prioris ad Corinth. 12. & alijs pleriſque ſcripturæ locis apparet. In hac ſua ciuitate Chriſtus alios poſuit Apoſtolos, deinde ſapientes, deinde poteſtates, & alios atque alios: vt ſint inter nos operationum quidem, miniſteriorumque diuiſiones: vnus tamen dominus & idem ſpiritus eſt, arctius in vnum ciues ſuos omnes conglutinans, quàm ſint vnius humani corporis membra compacta: quæ tametſi ſingulatim diuerſa ſunt, omnia tamē ſimul vnum corpus faciunt. Sic & in noſtra ciuitate Chriſtus ſuum cuique locum, ſuū cuique munus attribuit: ſed ita, vt quod ſingulorum eſt, omnium ſit commune, & vſui ſit cæteris. Satis hoc noſcitur ex Apoſtoli ſententia. Ante omnes verò Apoſtolicis euangelium ſuum credidit, vt inueniantur fideles myſteriorum dei diſpenſatores. Quibus autem largitus eſt ſermonem ſapiētiæ & ſcientiæ (iudices & doctores) hi prudentia & ſagaci ſuo iudicio res & actus hominū diſcernunt, dubijſque negocijs cōſulunt. Poteſtate verò præditus rex vim coërcet audacium & improborum: propterea gladium portat. Quod autem cuiq; datum eſt, dei munere datum eſt: vt quod habet, in communem vtilitatem conferat, non ad priuatum faſtum; adiuuet cōmoda ciuitatis noſtræ, non ſua quærat. Qui ſecus vtuntur, & aliter qui præſunt, non ciues ſed peregrini, iam non dei gratia præſunt

Ciuitas chriſtiana.

ſunt: ipſi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui eos: dicit dominus Oſeę. 8. Mutua igitur charitas eſt fundamentum ciuitatis Chriſtianæ, dùm pari ſolicitudine mutuis omnes officijs ſeſe tuentur, & aliorum alii viciſſim opē deſiderāt. Qua de re Hieronymi verba ſunt ad Nepotianum, Non omnia poſſumus omnes. Alius in eccleſia oculus eſt, alius lingua, alius manus, alius pes, auris, venter, & cætera. Epiſt. Petis à me. Huiuſce autē ciuitatis primus & ſummus magiſtratus eſt duumuiratus, in quo qui ſunt (alter pontifex, alter princeps) in omnes obtinent imperium, inter ſe quidem varium ac differens: ſed ad harmoniā decorumq; ciuitatis noſtrę facit hęc varietas, non ad diſſidium. can. 1. diſt. 89. Maxima inter homines ſupernę clementiæ dona ſunt hæc duo, ſacerdotiū & imperiū, ait Iuſtinianus. Auth. Quomodo oport. Epiſc. &c. Vtrunq; quale ſit, & qui duo hæc inuicem diſtent, aut ſimul cōueniant, octo proximis aſſertionibus oſtēdere tentabo, de Pontificia primò, poſteà de Regia poteſtate differens: tertiò tradentur vtriuſque communia. Duumuirorum longè maior ſemper extitit in ciuitate noſtra Papa: qui quid iure poſſit, nunc primò videndum.

[Mut]ua charitas eſt funda[m]entum ciuitatis chriſtianæ. [No]n omnia poſſumus omnes.

Chriſtianæ ciuitatis duumuiratus.

AVTORITAS PONTIficia iure deſcripta.

Eccleſiæ ſoli gladius vterque datus eſt.

DE DVOBVS GLADIIS.

SICVTI ciuilis ſapientiæ prudentes imperium duplex eſſe dixerunt, ita & eccleſiaſtici duplicem gladium deſcripſerunt μεταφορικῶς, aut per allegoriam potius, gladij nomen vſurpantes pro imperio & poteſtate, ne quis hîc mihi tantùm ſpatas & pugiones, aut alios fabriles gladios imaginetur. Eſt gladius ſpiritus, quod eſt verbum dei. Epheſ. 6. hoc vti ad veteris hominis internecionem & mactationem, verè pontificiū eſt in prin. 23. q. 8. Eſt vnus etiam ſpiritalis gladius, vocatus anathematis gladius. can. Paternarum. 24. q. 3. Et anathematis mucro. cap. Quum non ab homine. de iudi. Et mucro ſpiritualis à diuo Hieronymo: qua figura Cicero pro Cluentio cēſorij ſtili mucronem nominat. Et ſtilus proſcriptionis legitur in l. Si quis intra prouinciam. C. de bo. proſcr. Verbotenus hîc etiā

Gladius ſpiritus.

ferit

ferit,non ad mortem,ſed ad medicinam, ait canon. Vterq; tamen quouis gladio vel vtrinque incidente penetrantior eſt,vſque ad diuiſionem animę & ſpiritus,compagumq; & medullarum pertingens,ad Hebr.4. Eſt alius gladius vltor iniquitatum dictus,Iob.19.cap.Et.l. Quum vir. C. de Adult. Gladius eſt vindictæ, quo in ſceleſtos & facinoroſos animaduertitur, à noſtris materialis gladius nominatus. Ponimus vtrunq; gladiū ſoli eccleſiæ datū: hoc eſt eccleſiæ pontificem habere ius & poteſtatē in ſpiritualia, ſimul & in omnia temporalia, atq; de his ſtatuere & decernere ex cauſa poſſe: cuius decretis ſtandū. Nā quamuis homo ſit mortalis, cœleſti tamen poteſtate pollet. Et habet claues regni cœlorum: quas & Petrus habuit apoſtolici conſortij vertex, quem Chriſtus alijs & vniuerſo terrarū orbi paſcendo,regendoque triplicata iuſſione præpoſuit.Io.21. Vbi dum meas oues appellat,non vnius aut alterius ouilis, ſed vniuerſas intellexiſſe videtur:quas errare vagas ſine paſtore nullo vnquam tempore voluit:atqui Petrum Chriſtus moriturum ſciebat. Igitur quod Petro dixit, omnibus Petri ſucceſſoribus dixit:in quibus non tā ſedes ipſa Petri(qui ſedit & Antiochiæ) quàm fides & dilectio Petri ſpectāda venit.Hæc illa nempe eſt apoſtolica petra, nunquam deſitura,cui voluit Chriſtus eccleſiā ſuam perpetuò inniti. Quid enim ſi Roma patiatur aratrum? vel chaſmate pereat? aut hoſtibus prædæ fiat?aut(quod fuit olim)migret alio pontifex?Nō erit ideò grex domini ſine paſtore deſertus. Execratur orbitatem Chriſtus inquiens: Non relinquam vos orphanos. Hoc eſt quod noſtri prouerbio dicunt, Vbi papa,ibi Roma.cap.3.de elect. in.6.Hæc eſt illa plenitudo poteſtatis,tam in datis clauibus,quàm in commendatis ouibus: quę ſolis & omnibus Chriſti vicarijs,Petri ſucceſſoribus,hactenus à ſynceris Chriſtianis tributa eſt:& ſeruatur ab vniuerſa, quocunq; ſe diffundit,eccleſia Chriſti. Per quam plenitudinem totum mundum pedibus habent ſuppoſitum:de qua quidē ſcriptum legimus. 22. diſt.can.1. quòd illud verbum quo conſtructum eſt cœlū & terra,beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni ſimul & cœleſtis imperij iura commiſit: iura non quæ vi conſtent & atrocitate,quæ tantùm copijs,opibus, ſatellitio defendantur,quibus inſontes opprimātur, Reges gentium dominantur eis,Vos autem non ſic.Lucæ.22. In huiuſmodi pompis

Gladius uindictæ.

Plenitudo poteſtatis.

Plenitudinis poteſtatis iura,

& poteſtatibus non Petro(qui nec aurum nec argentum ſe habere gloriatus eſt)ſed Conſtantino ſucceſſerunt Pontifices,ait Bernardus libro de conſideratione quarto ad Eugenium Papã: ſed iura per quæ potens eſt pontifex exhortari quemque in doctrina ſana,& eos qui contradicunt arguere: Non vt fidei noſtræ,noſtrisq; dominetur,ac ſolus omnia poſſit & poſſideat:vnus eſt enim Chriſtus,cuius omnis terra eſt poſſeſſio: qui ſibi totius orbis imperium vendicat,quippe cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra: Matth.vlt. Curam duntaxat & cuſtodiam Pontifex habet,non dominium: quem tamẽ dominus ille cœleſtis conſtituit ſuper familiam ſuam,non vt ad libitum conſeruos percutiat,edat & bibat cum ebrijs:ſed vt ſingulis cibum det in tempore.Matth. 24.id eſt, non tam vt præſit, quàm vt proſit.Exemplo fortè dicam faciliùs id quod ſentio. Quod eſt in villa villicus, quod in ædibus inquilinus,quod puero domino pędagogus ſeruus,hoc Põtifex ſummus in orbe Chriſtiano. Villicus euellit & plãtat in agro,& inquilinus aperit & obſtruit ſæpè lumina domus,& ferulam manu geſtat pędagogus,interdum verberans.Non alia conditione præfectus eſt domini ſui famulitio Chriſti vicarius,& Petri ſucceſſor, Papa,qui doceat, moneat,increpet, peccantes corrigat,(hic eſt ille gladius ſpiritualis) qui Naboth exemplo vineam ſuã proprio cruore defendat.3.reg.21.qui ſe murum pro domo Iſraël opponat.Ezec. 13.qui renitentes compellat intrare ad nuptias.Lu.14. qui fidei aduerſarijs obſiſtat,irruentes in gregẽ domini ſui,lupos latratibus ac morſibus arceat, & animam ſuam ponat pro ouibus ſuis. Io.x.qui cum Petro ſpiritui mentientes Ananiam & Saphiram trucidet: qui cum Paulo conſtanter Elymam vijs domini reſiſtentem cæcitate damnet.Act.5.& 13.Hæc altero gladio (ni fallor) licitè geruntur: quo non eſt exuenda (quantùm ſentimus)eccleſia.Nõ fuit inermis prorſus adorãdus ille Chriſti exercitus,omnis alioqui fons tolerantiæ, quum duci ſuo reſpondet:Domine,ecce duo gladij hic.Lucæ.22.Non dedecet igitur ſanctum domini ſacerdotem gladius:cui tamen non conuenit vlciſcendi affectus. Non vos vlciſcentes (ait Apoſtolus) quin potius date locum iræ.Permiſſa eſt,dum cogit inuaſor temerarius,defenſio.De hom.in clem.Cum omnibus hominibus in pace viuendum eſt,ſi tamen fieri poteſt.ad Rom.12. *Si quis* habet

Gladius materialis penes eccleſiã

habet quod in ſuam ſalutem faciat, nec illud procurat, deum tentare videtur.can.Si nulla.23.q.8.Act.23.Paulus tribuno renunciandum curauit,inſidiari ſibi Iudæos:à quo plus quàm ducentos milites cuſtodes accepit, nimirum ad ſui defenſionem: qui proculdubio conſpiratores illos malè multaſſent, ſi quid in Paulum molitı fuiſſent. An ideò Paulus accuſandus?Aduerſus hæreticorum,& ſchiſmaticorum diſſenſiones eccleſia frequẽter imperatorum fidelium legibus munita legitur.can.vita.63.diſt. vt quod non valent efficere ſacerdotes ſermone doctrinæ,poteſtas ſecularis imperet terrore diſciplinę.can.principes.23.q.5. Deinde quæro hic cum diuo Auguſtino ad Bonifacium quẽdã virum militarem de Cæſaris comitatu:Si tantùm pati perſecutionem debet eccleſia,neminẽ verò perſequi, cuius eſt in Pſalmis vox illa?Perſequar inimicos meos, & comprehẽdam illos, & non conuertar donec deficiant.Pſal.17.Sic eſſe parati debemus ad vlciſcendam omnem inobedientiam.2.ad Corinth.10. Reſiſtendum malo nõ eſt,ita vt nos vindicta delectet, alieniſq; malis noſtrum paſcamus animum:ſed interim cauendũ nobis, ne dum non reſiſtimus, hominum correctionem negligamus. Fateor,& audio lubens quod obiiciunt ex Ambroſio,Dolor,fletus,orationes, lachrymæ ſunt arma clericorum, & ſacerdotis munimenta.can.Non pila.23.q.vlt.Falluntur hinc vehementer, ſi Chriſtum putent inſtituiſſe nos tanquam lapides & truncos, omnibus exutos affectibus.Arma clericorum ſunt lachrymę:ſed vbi funduntur inutiliter, impiorum vim à ſe & ſuis repellere licere eccleſiam naturale ius ſequentem ne ipſa quidem patientia negabit læſa, interrogans, Cur me cædis? Io.18.Rogamus (Auguſte)non pugnamus, inquit Ambroſius: interim tamen Caſtulum quendam,miſſis etiam preſbyteris & diaconis ſuis,vi eripiens iniuriæ populi.Vt hic taceam,quod nec Ambroſij tẽpora poſtulabant aliud quàm quod faciebat (Illis enim tã diris temporibus erant omnia inermi iuſticia tractanda)Nihil ei tamen qui poteſt non conandum & faciendum eſt, vi, flamma, ferro,ne deus offendatur,& boni pereant.Aderat cum toto populo Moſes, quum ſacerdos Phinees ſummi ſacerdotis filius, zelo dei percitus Iſraëlitem cum ſcorto alienigena transfodit. Propterea pactum illi ſacerdotium ſempiternum. Numer.25. Chriſtus apud Ioannẽ quum vidiſſet impios templum dei pro-

Ambroſius de tradendis baſilicis.

phanantes, non lachrymis, non orationibus egit: res tum fuit ſæueriore modo gerenda, flagellum ſibi neectit è funiculis, magnaque indignatione profligat è domo ſua, & inſequitur impuros illos canes. Io. 2. Dico igitur pro aris & finibus ſacris Pontificem & eccleſiæ proceres in impios homines & prophanos populos ius habere decertandi, tantum vt diſſoluantur colligationes impietatis, (ſicuti per Prophetã dominus dixit Iſaiæ. 38) Liceatque in pace colere pacis autorem. Gratianus hoc veterũ exẽplis, & autoritatibus multis affirmat in vigeſimę tertiæ cauſæ quęſtione octaua, referens & diuum Gregorium ſtipendiarios habuiſſe milites: & Chriſtianos milites legis apud Auguſtinum. can. imperatores. xj. q. 3. & can. Iulianus. Nicolaus primus ſingulari vir ſanctitate vitæ, ac prudentia, mandauit vt à malignis prædonibus direptas eccleſiæ ſuæ poſſeſſiones epiſcopus Treuerenſis cum ſuis ſpirituali ſimul & materiali gladio repeteret. Hoc mandatum habes in can. Autoritatem. 15. q. 6. Inde concilia multa generalia decreuerunt, eccleſiam & ſpiritaliter & temporaliter, hoc eſt, vtroque gladio procedere poſſe contra aduerſarios. cap. Dilecto. de ſent. exc. in. 6. & in extrau. Ioã. xxij. Ne quid ſede vac. &c. Bonifacius octauus in hanc rem rationes plurimas congerit in quadam ſua extrauag. epiſtola de numero communium, ſub tit. de maio. & obed. Cæterùm, decipit exemplar vitijs imitabile, vere Flaccus ait. Hac in re nõ de nouis, ſed de bonis ſumenda ſunt exempla: cauendumque ne falſa ex veris, mala ex bonis concludantur. Non minore pernicie morum, quàm dedecore nominis Chriſtiani bella quidam ſacrifici ſacerdotes & pontifices geſſerunt, ex quibus quot quantaq; mala ꝑuenerint in eccleſia dei, modo perrenſeri tempus non eſt, imo verò nec opus. Bernardus cùm doct⁹ autor, tũ ſanctitate clarus, eleganter vtriuſq; gladij poteſtatẽ, vſũmq; docet in eccleſia, ex ijs quæ priùs dixerat colligens. Vterq; ergo eſt eccleſiæ, & ſpiritalis (ſcilicet) gladius, & materialis: ſed hic quidem pro eccleſia ille verò ab eccleſia exercẽdus: ille ſacerdotis, hic militis manu, ſed ſane ad nutũ ſacerdotis, & iuſſum imperatoris. Locus eſt in quarto illo libro ad Eugenium tertium. Hac ratione videmus, quòd prophanæ iuriſdictionis adminiſtratiõnẽ & exercitũ demãdat eccleſia ſecularibus perſonis: ad quas tranſfert etiã cauſarum criminalium cognitionem, quarum ſuppliciũ frequenter eſt

Põtifices bella gerunt.

Bernardus de utroque gladio.

eſt mors.cap.fi.Ne cler. vel mo.in.6. Pontifices tamen quibus docendi munus Chriſtus delegauit, non pugnandi, nam Chriſtiani ferro non fiunt (niſi vrgente & magna ex cauſa)ad ſacra tantùm & ſpiritalia certamina prodeant.Præterquàm quòd verum eſt illud è comœdia, Omnia priùs experiri, quàm armis, ſapientem decet.Apoſtoli quoque ſingulare eſt monitũ ad Titum.3.Epiſcopum non oportet eſſe percuſſorem.Idem clamat, Arma noſtra non ſunt carnalia,ſed potentia deo.2.ad Corint. x.Moyſes contra Amalech non gladio ſed oratione pugnauit. Exod.17.Promam certum diui Bernardi oraculum, quod vni dictum Eugenio,putent omnes ſibi dici, Vtrumq; ſimul habere ſi voles,vtrumq; perdes. Malos igitur aggrediantur,nõ ferro, ſed verbo,& vulnerent ad ſalutem.Nam eccleſia (quod idem papa Nicolaus tradit)non habet gladiũ niſi ſpiritalem,quo non occidit,ſed viuificat.can.Inter hæc.33. q 2. Alterum, Chriſto iubente,Petrus non abiecit quidem,ſed tamen vagina condidit: cuius vibrandi ac ſtringendi poteſtas principi conceſſa eſt ad bonorum tutelam, & vindictam malefactorum, quorum ſunt eccleſiæ deiq́ue miniſterio dati vindices can. Quæſitũ 23 q.4. Non deſijt imperator eſſe Titus Veſpaſianus,qui ne gladio co gereretur vti,ſed vt ſine cuiuſquam nece puras ſuas ſeruaret manus,ideò pontificatũ maximũ ſe profeſſus eſt accipere:quem tam ſanctè geſſit,vt periturum ſe potius adiuraret,quàm perditurum:fidemq́ue præſtitit, quamuis interdum vlciſcendi cauſa non deeſſet: prout à Trãquillo ſcriptum eſt.Marcus Antonius in Senatu petijt, ne ſui principatus tempore Senator aliquis occideretur: cauſam reddens,ne eius pollueretur imperium. Sic eſſe debet ἀναίματον pontificis imperium. Neque enim tantã poteſtatem metimur haſta vel pilo cum barbaris militibus: ſed virtute & autoritate,quæ in animo eſt,non in manu,quãdo rerum neceſſitas vſum non exigit.De vtroque gladio, in quo Petri primatum collocant, actum ſatis: quæ noſtro more nos diximꝰ:Suo Faber in l.1.de ſum.tri.C.Bart.in.l.1.§.1.ff.de req.reis. (Vbi contrà ſentientes pronunciat hæreticos) & varijs in locis alij. Ducitur hinc,& quòd ſequitur ad papam pariter ſpectans vnice.

Imperium ſine ſanguine.

Pontificis audientia ſola, quacunque de re,

& à quocunque recte aditur: ſiue tu agas, ſiue tu denunties.

DE DENVNTIATIONIBVS & actionibus apud eccleſiam.

Eccleſiaſticarum denuntiationum, quàm nũc eſt, vſus fuit olim frequẽtior, & autoritas maior: quando prælatos habuit eccleſia, qui nihil aliud quàm Chriſti prælatos agere nouerant, nõ Martis Satrapas, aut Veneris Adonides. Ad illos enim morum integritate, vitæq; ſanctimonia conſpicuos, nec minus inſignes doctrina viros, tanquam ad ſacram quandam anchoram & aſylũ perfugij, rebus afflictis & deſperatis, vndiq; concurrebatur. Nũc iſta quũ penè exoleuerint, pauca nobis de re inſueta dixiſſe ſufficiat. *Nuntiatio.* Nuntiatio ſeu denũtiatio ex antiquorũ vſu, tam canonico, quàm ciuili iure dicitur, quando per notoria, iudici ꝓduntur indicia criminũ. l. ab accuſatione. ff. ad S. C. Turpil. l. Ea quidem. C. de accuſ. id eſt, quando rem arcanam, & crimen occultum quis detegit, & ad iudicem defert cum teſtificatione aliqua. Nam denuntianti ſoli non creditur, etiam ſi tantùm ad pœnitentiam, & peccati conſcientiam ageretur: longè minus, ſi iudicio contenderetur: opus eſt altero teſte, vt ſaltem per duos de crimine conſtet. Id quod hoc in cap. ſcribũt omnes. In can. Placuit. 6. q. 2. & can. Si tantum. Iſta ſunt quæ duabus citatis legibꝰ notoria vocantur. Nempe quum ſit vtile ſcelera noxiorum publicè innoteſcere, ne diutius latendo, in bonorum perniciem inualeſcant, ſed elata in medium per leges puniantur: ad hęc ipſa pernoſcenda duplex à prudentibus aperta eſt via: Accuſatio, quę non niſi legitimis probationibus peragitur, iudice pro tribunali ſedente. Et denuntiatio, aliunde quàm ex illis ſolennibus probationibus habens comperta delicta, quæ iudici nuntiat. Quæ res (antè facta tamen litis conteſtatione) de plano pòſt expedienda eſt citra prolixas alias iudiciorum dilationes, & ſolennitates. Nam correctionem, & emendationem vitæ tantùm reſpicit: ſiue ſit hæc euangelica, quæ prima ſpecies eſt denuntiationis: ſiue iudicialis. *Euangelica denuntiatio* Euangelica denuntiatio, id eſt, priuata quædam peccantis in nos correptio, tendens vt proximus noſter à noſtri lęſione & iniuſta offenſione monitus deſiſtat. Quã Chriſtus inter ſuos eſſe voluit, vt ſuprà in textꝰ explicatione. Quod

enim

enim vrbanitatis eſſe dixerunt prudẽtes Romani,vt priùs ad-
uerſarium moneamus,quàm in ius veniatur.l.Quidã Iberus.ff.
de ſer.vrb.præd. hoc eſſe Chriſtianę charitatis indicat euange-
lium.Hanc etiam pręuiam monitionem exigit denuntiatio iu- *Iudicialis*
dicialis,quæ tum fit,quando de peccato,& delicto corripiendo *denuntiatio*
agitur in foro eccleſiaſtico.Ex qua nõ rarò particulare aliquod
commodum affertur denuntianti.Nam ſæpe cenſura ſua cogit
eccleſia denuntiatum ipſum præſtare facereq; proximo, quem
lęſit,quod iuxta pręceptum diuinũ Chriſtianos & fideles opor-
tet inuicem facere:id quod in denuntiationis libello peti poſſe
tradit hîc Archiepiſcopus Panhormitanus.Iudex tamen ex o-
ficio ſuo,nõ ad petitionem denuntiantis procedit: quandoqui-
dem denuntiatio non fit ad pœnam, ſed ad criminis expiatio-
nem,vt inter exponendam literam dixi: ſed in conſequentiam
iudex denuntiatum condemnat ad ſatisfaciendum. Nam ſicuti
de peccato conſtat,ſic debet & de ſatisfactione conſtare. Sem-
per igitur epiſcopus noſter rectè atque ordine interpellatur, vt
corripiat coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus, vt
cæteri metum habeant(hæc eſt iudicialis denuntiatio)&(quod
Euangelicam ſpectat)vt corripiat ſecretiùs,quæ peccantur ſe-
cretiùs.quæ fuit Auguſtini ſententia in can.Si peccauerit.2.q.1.
vbi multa per Archid.& can.Sed illud.45.diſt.Plura non per-
ſequar.Summatim dixero,Peccatum,vel peccati metum, id eſt,
commiſſum,committendúmve peccatum dare iuriſdictionem
eccleſiæ quacunque de re,& in quemcunque hominem.Nec id
tantùm per denuntiationem, ſed etiam legitimis actionibus,&
ordinaria iudiciorum forma omnes omnium petitiones & que- *Agunt om-*
relas audire poteſt eccleſia,deque his pronuntiare,cogente(vi- *nes,& con-*
delicet) iuris, vel facti neceſſitate: vtputa, quando fori ciuilis *ueniũtur in*
vſus,aut nullus eſt,aut iniquus eſt.Declarabo vno atque altero *foro eccle-*
exemplo. Vacante imperio,regnóve aliquo,ſedes apoſtolica *ſiaſtico.*
ſubditorum controuerſias iudicio ſuo dirimit. Item,& ſi prin-
ceps aliquis,quo maior alius nemo, ſit in adminiſtranda iuſti-
cia negligens,aut iniquè ius reddat ſuis, pontifex rectè aditur,
qui decernat:ſiue de feudo,ſiue de hęreditate inter illos agatur,
aut quauis alia de re.Factum hoc per diuerſas orbis regiones à
Pontificibus Romanis crebrò legimus,nec itum à quopiã con-
trà.Pelagius papa cuidam Sinduæ magiſtro militum , & alij

decorato Patricio mandat & præſcribit offerendi libelli, teſtiumque recipiendorum formulã.can.Chartæ.& ſeq.3.q.9.Non immorabor ſuperuacaneis in re ſatis nota: quam & hîc habes probatam,& in cap.licet.cap.ex tenore.de fo.comp. Et ne quis vſurpatum ab eccleſia iudicium cauilletur,Iuſtinianus imperator per vniuerſam imperij ſui ditionem obſeruari mãdauit, vt qui à præſide offenſionem patiũtur & iniuriam,adeant ea de re epiſcopum: item & ſi quis ius ſuum non obtinuerit, quũ prouinciæ præſidem adijſſet,ad religioſiſſimum (inquit) eius loci epiſcopum accedat.nouella ſua conſtitutione 86.ſub tit.Vt differentes iud.&c.Quum ſtricta iuris ciuilis obſeruatione peccatum inducitur,ad euangelica canonum remedia licitè confugimus.Breuitatis cauſa in facili adhuc & peruulgato exẽplo conſiſtam.Actiones omnes & obligationes annis xxx. vel ad ſummum.xl.tolluntur.l.3.&.4.C.de præſcr.xxx.vel xl.an.Hoc ſi nobis euenerit,epiſcopo denuntiare poſſumus,qui ipſos nos eccleſiæ autoritate ſeruabit indemnes,cogens aduerſarium ad rei reſtitutionem:quum nullo temporis lapſu perire debeat obligatio naturalis ex mutuo conſenſu nata. Vide bene longam Bartoli gloſſam ſuper verbo ,denuntiationẽ,in extrauag.ad reprimendum. Huc pertinent ea quæ nos infrà de periurio dicemus. Conſtare credo(quod iam oſtendi,& infrà oſtendam,)eccleſiã in res temporales habere ius & autoritatem: afferam tamen ſimile,quod(ni fallor)mirè faciat ad omnium confirmationem. Oppreſſi ab eo cuius ſunt poteſtati ſubditi (vt ſerui,liberti, vxor,liberi,quibus aliàs non licet agere) audiũtur expoſtulantes de duritia,vel obſcœnitate ſuperiorum.l.1.ff.de offi.præf. vrb. Ita & qui ſunt iniuſtè damnati,aut grauari ſe putant,omnes ab eccleſia,ceu à communi omniũ matre,auxilium petere poſſunt. Durandus in ſpeculo tit.de denuntiat.§.1.in ea eſt opinione,ſi metus impediat oppreſſæ alicuius miſerabilis perſonæ denuntiationem,tum debere iudicem eccleſiaſticum, nulla expectata querela,ex officio procedere contra violentum illum,& tyrannicum pauperum oppreſſorem,tam per pœnæ impoſitionem, quàm per ſufficientem cautionem. Quæ ſententia vera eſt, & æquitatis plena: quemadmodum princeps voluit,vt prouinciarum rectores vindicẽt,ſi quid eſt eccleſijs, & ſacerdotibus illatum mali: nec expectent vt epiſcopus iniuriæ propriæ depoſcat

Oppreſſis eccleſia ma ter ſuccurrit

cat vltionem.l.Si quis in hoc genus.C.de epiſc.& cler. Præte-rea,Cur(inquit Iulianus)ad arma ex rixam procedere patiatur prætor,quos poteſt iuriſdictione ſua componere? l.Si cuius rei. §. Sed inter duos. ff. de vſufr. cur itidem mater pientiſſima mutuis ſe morſibus dilaniare filios patietur? Piaculum tantum ferre non debet:adeò vt ſi ſint ſuo principi rebelles ſubditi, Pōtifex teneatur pro virili rebellionem domare,principi ferendo ſuppetias.quod Inno. ſcribit in.d.cap.licet.de for.comp.& alii plerique conſentiunt,multis,magniſque fulti argumentis.Nam ſicuti bono & graui præſidi curare cōgruit,vt pacata atq; quieta ſit prouincia quam regit.l.Congruit.ff. de offi.præſ. Sic & epiſcopis ſtudendum eſt,vt diſſidentes fratres,ſiue clericos,ſiue laicos ad pacem reuocent,& cogant etiam.90.diſt.can.placuit. eccleſia enim cultrix & auctrix iuſticiæ non patitur contra iuſticiam aliquid in ſe fieri,vel in alterum,præſertim quū de pace agitur. Nam à ſummo deo conſtituta eſt omnium mortalium Irenarcha,diſciplinæ & quieti publicæ præſidens,paciſq; iudex. Suprema hæc autem poteſtas in omnes,quæ tam latè patet, vt terrarum orbem complectatur,quū ſit à cœlo ſoli eccleſiæ data, immutabilis eſt, cui nulla præſcriptio temporis obſtat, nec vſucapi poteſt:quum non liceat à capite membra diſcedere,neruumque diſciplinæ eccleſiaſticæ infringere,neglecta quæ debetur epiſcopis & maioribus obedientia.cap.5.de conſue.cap.12. de præſc. Quòd ſi quando pontifex in aliquos ea ſumma ſua non vtatur autoritate, non conſequitur quin penes illum ſit hoc agendi poteſtas. Omittit (vt placet Innocentio) vel quia (quæ impietas eſt filiorum) facultatem non habet: vel propter ſcandala & pericula quæ inde timentur. Ideo nempe mali ſuo ſæpe relinquūtur ingenio,ne fortè reprehenſione peiores fiant. Vt taceam,quod nemo eſt qui curare poſſit inuitum.Certè vbi ſcandalum timetur,vindicta dei iudicio relinquitur. can. Non poteſt.23.q.4.Modum docuit Auguſtinus inquiens.Faciat eccleſia,quod pertinet ad correctionem malorum, quantum pro vnius cuiuſque gradu atque perſona, ſaluo pacis vinculo, fieri poteſt:& humanum quidem nonnunquàm,ſed maximè ac ſemper diuinum iudicium comminans. can. Ecce.& ſeq. 23.q.4. can. 1. 14. q 6. quòd ſi mali per iudicium auferri non poſſint, tolerādi ſunt.can.Multi.2.q.1.Apoſtolica regula eſt,Etſi omnia

Pontifex εἰρήναρχης.

Impræſcriptibilis papæ poteſtas.

 liceant,

liceant, non omnia tamen expediunt.1.ad Corinth.6. Hoc æuo pleriſq; lex eſt in manibus, antiquiſſima patrum decreta, veterum ſcriptorum monumenta hactenus omnium conſenſu ætatum rata & comprobata pro nihilo ducentibus, & ad hanc cõfidẽtiam (ne grauiore verbo vtar: etenim verè eſt θεοβλαβεία) ipſi etiam ſuperi laneos pedes habent. Hîc tibi, tam violento legum imperio, quid aget eccleſia? Parere neceſſe eſt (dum iuſtitia conuertatur in iudicium.) nam, quid agas, quum te furioſus cogat, & idem fortior? ait Satyricus. Vbi armorum vis eſt, ibi ius quenquam ridiculum eſt afferre verborũ. Diuerſis eccleſia tentationibus in hoc ſeculo, velut imbribus fluminibus tempeſtatibus quatitur; ſed ſcio quod non turbatur nauis, quæ Petrum vehit. can. Non turbatur. 24.q.1. Itaque,

Dij maris & terræ (quid enim niſi vota ſuperſunt?)
Parcite quaſſatæ ſoluere membra ratis.

Nunquam deo ſuus deerit Nabuchodonoſor, per quem flagellet eccleſiam ſuam: per quem viſitet in virga iniquitates noſtras, & in verberibus peccata noſtra. Sed expectandus eſt, & veniet ille dies horrendi lapſus, quem diuina minatur veritas, Deuter. 32. Mea eſt vltio, & ego retribuam eis in tempore, vt
Pſal.10. labatur pes eorum. Credamus, in humilitate noſtra memor erit noſtri, & eruet ille phrameam ſuam ab inimicis manus ſuæ: vt quæ eſt, & futura eſt eccleſia, tot tantiſque fluctibus, impetu irrumpentibus, immobilis permaneat. quod fiet in beſtias verſis iſtis inſolentibus Nabuchodonoſoribus. Supereſt & quod pontificem ſolum concernit.

Iuriſiurandi religio ad eccleſiæ iudicium duntaxat pertinet.

IVSIVRANDVM QVOS habeat iudices.

Pluſquàm manifeſtum eſt, quod hoc in capite. Nouit. dicitur: videlicet, de iuramenti religione, quemadmodum de ſacris & religioſis omnibus, ſolos pontifices eſſe iudices, interpretes, & diſceptatores. Priſco etiam Romanorum more, ad pontifices, vt ad antiſtites deorũ immortalium, populus adibat dubius de pietate, de fide, ac iureiurando, & de votis omnibus ritè exoluendis: vt libro de legib.2. Cicero ſcriptum reliquit. Quod iuratum

ratum eſt,prætor quidem tuetur,& paciſcentes cogere debet ad ſeruandum iuſiurandum,non vi nec dolo adactum.l.v. de iureiu. ff.cap 2. eodem tit. in.6. Verùm,id agit non tam religionis cauſa,quàm pacti præcedentis ratione. Sed religioſéne, an ſuperſtitioſè ſit iuratum: licitum,necne,ſit iuramentum,conſulenda venit eccleſia ſola:cuius eſt in ambiguo ſtatuere, an & quatenus obligamur iuramento,quâſque vires habeat.cap. Venerabilem. de elect.cap.2.de pactis in 6.Iuſiurandum eſt affirmatio religioſa: quum quid affirmatè (ait Cic.) quaſi teſte deo promittimus.Officiorum.3.Hoc ſi iudice autore præſtetur,vel ſi priùs conuentis accedat,iure obligat, & ſeruandum eſt, etiam à puberibus.auth.Sacramenta.C.Si aduer.vend. &c. Nam ad iuſticiam,& ad fidem contractuum,iudiciorumque,necnon ad pactorum confirmationem pertinet: quam qui violat,in publicas leges committit,& peierat:ideò punitur, vt infrà dicemus. Eſt aliud quoddam iuſiurandum priuatim mutua conuentione datum extra iudicia.Nulla ciuilis ex iſto, ſicuti nec ex promiſſione ſimplici,naſcitur actio,nec inter legitimas conuentiones habetur.Bartolus Innocentium ſequutus hoc probat in. l.Si quis pro eo.ff.de fideiu. Neq; enim verum eſt (quod quidam dixerunt) iuramentum in ſe habere pactum. Latè per Albericum, diſertè per Iaſonem in.l.iuſiurandum quod ex conuentione.ff. de iureiu.Quiſquis tamen ſic fallit,& fidē frangit,grauiter peccat.Leuit.5.cap.Quare & hoc iuſiurandum citra ſalutis ęternę diſpendium pariter conſeruandum eſt, ac deo diligenter reddendum, ſi non bonis moribus,aut vtilitati publicæ repugnet. cap.Si diligenti,de foro comp.cap. non eſt obligatoriū.de reg. iuris.cap.Quum contingat.& cap.debitores.de iureiu.Nā credidit & gentilitas infenſos eſſe,iratoſque deos periurio.Tibulli carmen extat eleg. 1. præter innumera alia exempla, ſed hoc in primis occurrit,

Iuſiurandū, ſiue iuramentum.

Periuros deus punit.

Ah miſer,& ſi quis primo periuria celat,

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus. Ad hunc ego ſenſum interpretor Alexandri conſtitutionem.l 2.de reb.cred. C.de qua tamen non omnes vno modo: ſed poſt explicabitur. Ex qua patet,etiam Ethnicorum principum legibus,iuramenti cauſam creditam ſemper, & exiſtimatam fuiſſe cauſam dei,eiuſq; vindicē eſſe deum,quo teſte aliquid affirmauimus.Quòd

H ſi cauſa

ſi cauſa dei eſt, ergo non alibi agenda, quàm pro dei tribunali, quæ eſt ipſa eccleſia. Quæ quidem ſi nos iuramento ſoluerit, ſoluti ſumus & in cœlis: ſi ligatos pronunciarit, ligati ſumus & apud deum. Conuenit huc & illud inter nos tritum verbum, Iuramentum addere forum foro. Nam ratione iuramenti quocunque de negocio, & in quemcunque hominem ius dicit eccleſiaſticus, alias incompetens, iudex. cap. vlt. de foro comp. lib. 6.

Claues regni cœlorũ. Succinctè perſtrinximus (auditores ingenioſi) cuius poteſtatis iura pontifex exerceat: quæ non ſunt alia, quàm claues illæ regni cœlorum, quas dominus Petro præ omnibus, ac pro omnibus, daturum ſe promiſit. can. Audiuimus 24. q. 1. Id eſt, iura ligandi & ſoluendi, tenendi atque dimittendi peccata: verè opus ſpiritusſancti, & virtus Chriſti. Secundum pontificem, ciuitatis noſtræ Chriſtianæ duumvir eſt princeps, à deo quoque terrenis & ciuilibus hominum negocijs ordinandis præpoſitus. In quibus quid poſſit, & quantum, nitar oſtendere proximis duabus concluſionibus.

REGIA POTESTAS legibus tradita.

Solius principis imperium, merum eſt.

DE REGIS IMPERIO.

Sub finem principatus Henrici ſexti imperatoris Alemani, atq; poſt, eius imperante fratre Philippo, circiter annum Domini milleſimum ducenteſimum florebat in Italia præ cæteris duo iuris interpretes, Bulgarus, & Martinus: qui duas in multis legum articulis veluti diuerſas ſectas fecerunt, quæ ſparſæ patent adhuc in Accurſianis gloſſis. Inter alia, duobus his non cõueniebat de principis poteſtate. Martinus omnium, quæ ſub ſuo ſunt imperio ac ditione proprietatem habere principem, & eſſe omnium dominũ aſſerebat. Contrà, Bulgarus in omnes quidẽ iuriſdictionẽ poteſtatẽq; principi tribuebat, interim ſua cuiq; ꝓpria relinquens, quæ tamẽ perinde ac propria ſibi princeps tueri, defendereq; deberet: quo ſenſu omnia principis eſſe intelliguntur. l. 3. de quadr. præſc. C. Siue timore, ſiue amore Martinus illa dixerit (de quo dubitat Accurſius) non defuerunt huius iniquæ & tam iniuſtæ, ne dicam impiæ adulationis ſpontanei ſectatores: illi quidem nomine, ſcriptis, & ingenijs obſcuri, ſæcularij

Bulgarus, et Martinus.

cularij homines: qui ſuis tamen qualibus qualibus de iure reſponſis perfecerunt apud hominum vulgus, vt plus impudenti neſcio qua autoritate valerent, quàm doctrina, nunquàm regibus illud è ſatyra non occinentes.

Quicquid conſpicuũ, pulchrumq́ue ex æquore toto eſt, Res fiſci eſt, vbicunque natat. O Palphurios, publicos humanæ ſocietatis hoſtes, ciuitatum ſubuerſores, cruentarumq́ue prædarum & ſpoliorum concinnatores? Omnia potes? Omnia ſunt imperatoris? Quid apertius? Gothi quidam milites, & Ariani ex aula Iuſtinæ ſic Ambroſium ſuas tutantem baſilicas turbabant. Nec verentur rabulæ non intellecta ſacra prophanis ſuis admiſcere deblatterationib⁹. Hoc erit ius regis (inquiũt) & nemini quæ ſequuntur ignota, primi Reg. 8. cap. Ingenioſi homines, ius eſſe bonum credunt armorum malam potentiam, & comminationes dei putant eſſe legem ac ſententiam: quaſi vlli vnquam principi, vel ethnico tam turpia licuerint, qualia deſcribuntur illic, & humanis & diuinis omnibus vetita legibus. Legerunt hæc nõ intellecta ſibi δημόβοροι: Cur non & quod eſt Iſaiæ 32. & Ezechielis 46? Non accipiet princeps de hæreditate populi per violentiam, & de poſſeſſione eorum. Ius regis deſcripſit longè melius & ſanctius quiſquis fuit autor in. 2 feudorum libro, tradens quæ ſint regalia. Non tollit ibi rex ad libidinem ſuam filias alienas: non aufert agros cuiuſquã vt det illos ſeruis ſuis. Sua cuiq; relinquit. Egregiè rex dixit Antigonus, Bonis principibus ea demum eſſe honeſta, quæ naturâ ſũt honeſta: ea tantũmodò recta, q̃ per ſe recta ſunt. A natura ſunt illa tria iuris pręcepta, Honeſtè viuere, Neminẽ lędere, Suũ cuiq; tribuere: quę reges & hoĩes alios omneis obligant. Vti & illud, Alteri non facias, quod tibi fieri non vis. Finge aliquẽ brachia, pectus, humeros, & quod reliquum eſt corporis negligere, tantummodò de capite ſolicitum: membra ſua cætera nudare, vt vnum caput ornet ac operiat: nónne ſic ineptè & prodigioſè inſanientem meritò ridebunt omnes? Quis non iure exibilet hominem putribus calceis, laceris caligis, trita lacerna cum vilibus pannorum aſſumentis, capiti ſuo mitras aureas, & præcioſas tyaras, gemmiſq; ſplendentes quærentem? Atqui, Martinum nihil ab hoc diuerſum feciſſe exiſtimo, regi cuncta donantem, ſpoliato populo. Sed Martinaſtros iſtos legirupas (vt

Iuuenalis Saty. 4.

Ius regis.

cum Plauto loquar) miſſos faciamus, regum dementatores, à
quibus & ipſi cognominari gaudent. Vno expediã verbo, quod
ſentio. Gloria regis eſt multitudo populi, non cuiuſlibet (Nam
turpe illud eſt è Satyra ſcomma in principem, Mancipijs locu-
ples eget æris Cappadocum rex) ſed diuitis populi. Et imperiũ,
& fiſcus abundabit vtens ſubiectis locupletibus. auth. Vt Iudi.
ſine quoquam ſuffrag. §. conſyderauimus. Bulgari factio duos
Lotharius, habuit autoritatis maximæ viros, Azonem, & Lotharium, inui-
& Azo. cem tamen adhuc diſſidentes. Lotharius principem dicebat
eſſe omnis iuriſdictionis fontem, qui tantæ poteſtatis riuo- in
quemque magiſtratuum pro nutu ſuo, modò grandiores, modò
minores, effunderet: ſibi tamen ſemper illam ſummam vitę ne-
ciſq; poteſtatem, hoc eſt, merum imperium retinens, vnde alia-
rum omnium poteſtatum ſcaturigo: quod tam proprium eſſe &
cohærens principi affirmabat, vt alij nemini conuenire poſſet.
Azo ex aduerſo compluribus magiſtratibus hoc imperiũ com-
municabat, quod iure magiſtratus exercere poterant: vſque adeò
in opinionem ſuam iuratus, vt ſponſionem fecerit cum Lotha-
rio, ni verum diceret, equum ſe illi ſuum daturum. Inter eos iu-
dex conuenit imperator Fredericus. 2. qui tum Bononiam ve-
nerat. Huius temporibus vterq; claruit anno domini milleſimo
cc. xxx. Imperatoris ſententia, Lotharius ſponſionem vicit, & ha
buit equum: ſed non fuit æquum, ait feſtiuiùs quàm veriùs apud
Speculatorem Io. And. mox in princip. Tit. de iuriſd. Ex priſcis
illis gloſſarum noſtrarum ſcriptoribus, & iuris commentato-
ribus nemo ferè eſt, qui non Azonem ſequatur. Alciatus æui
noſtri iuriſconſultorum diſertiſſimus, in ijs quæ contra con-
munem dixit, ab Azone ſtare videtur, cap. 2. libri ſecundi, me-
rum imperium quibuſdã magiſtratibus tribuẽs: quod & quãdo-
que delegare poſſunt. In cap. 6. eiuſdẽ libri Lothariũ planè ſe-
quitur, ac meri imperij ius ſoli principi cõpetere: quod nec de-
legari queat, aſtruit. Res haud eſſet tam varia, ſi quibus Lotha-
rius nitebatur argumentis, conſtaret: quæ magna fuiſſe & effi-
cacia non dubito. Pro ſe quiſq; diuerſa comminiſcitur, vt hunc
vel illum ſectatur. Ego breuibus aliquot ratiunculis enitar oſtẽ-
dere, cur cum Lothario ſemper & ſenſerim, & adhuc ſentiam.

Merum im- Vt polui, merum imperium eſt ſumma poteſtas. quod & Al-
perium. bericus refert Oldradum Laudenſem valde peritum iuris do-
ctorem

ctorem ſcripſiſſe.l.3.ff. de iuriſd. Ante quē & Speculator in tit. de iuriſd.diffinit,quòd Merum imperiū eſt ſumma poteſtas,per quam explicantur ea quæ ſunt iuriſdictionis maximæ.Nec puto eſſe qui refragetur.Quid enim maius eſſe poteſt in homine, quàm alienæ vitæ ac mortis arbitrium? Hanc autem ſummam poteſtatem,ſiue ſummum ius,nullus vnquam Romæ magiſtratus habuit præter Decemuiros,& vnum Dictatorem,cuius fuit autoritas æqualis cum regibus, quos in initio ciuitatis conſtat omnem poteſtatem habuiſſe. Poſt exactos reges, & conſtitutis Romę duobus Conſulibus,lege rogatum eſt,penes hos ſummū ius vti eſſet:quod non ſciuit populus,ne per omnia regiam poteſtatem ſibi vendicarēt: ſed lege lata factum eſt,vt ab eis prouocatio,ſicut à reliquis magiſtratibus,fieret. Ne putes hinc ſūmum ius & imperium datum fuiſſe Conſulibus: lege quidem rogatum fuerat vt illud haberent,ſed lege latum non eſt. Rogantur propriè leges,non quum feruntur & ſtatuuntur,ſed quū populus interrogatur,an ſtatui ferrique velit: in qua re hæc erant verba ſolennia, Velitis ne? Iubetis ne, Quirites? Populus ſciſcere dicebatur,hoc eſt,ſtatuere,decernereq́;:legiſlator rogare: quādoquidem legis origo eſt rogatio.Ex Gellio cap.20.lib. x.Erat autem hæc ſumma poteſtas,ſiue merum imperiū in ſolo populo Romano: cuius iniuſſu animaduertere in caput ciuis nemini licebat:propterea quæſtores à populo conſtituebantur, qui capitalibus rebus præeſſent: hi appellabantur quæſtores parricidij. Hoc ex Pomponio didicimus in l.2.de orig. iuris. Quum verò poſteà populus in principē omne ſuum imperiū & poteſtatē tranſtuliſſet.l.1. de conſtit. princip.reſedit hoc merum imperium in ſolo principe,vt & legis condendę autoritas. Qui alius vtitur,oportet aliquo priuilegio ſubnixum vti, puta, ex præceptione,vel permiſſione principali: nempe alii nemini quàm principi ſoli populus in ſe tantam poteſtatem dedit.

Romæ penes quos fuit imperiū merum.

Rogare leges.

Qui ſummis in imperijs olim fuerint in populo Romano vides: ſub Cæſaribus an aliqui fuerint,inquiramus. Et quidē varios magiſtratuum gradus & ordines faciunt,eoſque legitimos omnes,id eſt,legibus & publicis inſtituris creari ſolitos: quibus aliam atq; aliam pro diuerſitate poteſtatem tribuunt,maiorem maioribus,minorem minoribus, ex forma iuriſdictionis. Prætorij præfectura ſecunda erat ab imperatoribus olim poteſtas.l.

Magiſtratuū poteſtas ſub imperatoribus.

vnica.ff.de offi.præf.præt.quam Iuſtinianus maximam dignitatem vocat in tit.de offi.præf.præt.Aphr.Pôſt,erant procôſules, prætores,præfectus vrbis,præfectus vigilum,præfectus auguſtalis,& quicunque prouincias regunt,quos prouinciarum præſides nominamus.Hos omnes inter primos & clariſſimos magiſtratus reponunt: qui ſi merum imperium non habeant, haud quaquam minoribus competet.In ijs autem nihil eſſe merum, ſummumq; vel hinc apparet,quia ſupra ſe principem habent, à quo quicquid eſt in illis poteſtatis acceperunt:ad quē de grauioribus negocijs referunt, & ex cuius nutu iuſſuque pendent. Arcadius quo ſuprà loco de præfecto prætorij loquens, refert hunc electum à principe,ſecundam quidem poſt principē poteſtatem gerere,ſed ex data ſibi (ait)pleniore licentia. Et præfectos vrbis non niſi ex commiſſione principis de criminibus cognoſcere conſtat.l.1.de offi.præf.vrbis.Et vniuerſas prouincias regentibus ius gladij permiſſum eſt.l.illicitas. de offi.præſ. Non ſuo (vt vides) ſed alieno iure ac permiſſu nituntur & agunt:quis talibus imperium merum & abſolutum tribuet?quāuis tamen exercitionem publicorum iudiciorum habeant, ſed quæ ſpecialiter eis principum conſtitutione data eſt. Valentinianus,Theod.& Arcad.Imppp.præfectū prætorij criminū vindictam ad ſe referre iuſſerunt.l.3.de offi.præf.præt.orient. Sub ijſdem ampliſſima præfectura nullam habebat in militares viros poteſtatem.l. 1.de off.mag. mil.Ampliſſima præfectura, id eſt,prætoriana præfectura: ſic enim interpretor ex lege Anaſtaſij imp.in eodem tit. Nec præfectus auguſtali prætorio ſub ſe iudicum flagitia puniendi poteſtatē habet.l.vlt.de offi. præf. aug.Cōſtitutio quædam Iuſtiniani ad Baſilium magiſtrum militum eſt in hæc verba:Magnificus præfectus prætorio Aphricæ,& viri ſpectabiles duces de omnibus quæ aguntur frequenter ad nos referant,vt benefacta confirmemus,& quæ oportunius debent fieri,ex noſtra diſpoſitione peragantur.l.2.de offi. præf.præt. Aphr.Cæſares audis vbiq; ſupremam ſibi rerū omniū cognitionē ſeruaſſe.hoc quid aliud ſit, non intelligo,quàm meri ſummique imperij ius eſſe in ſolo principe : qui contra quorumcunque ſententias ſeu præfectorum prætorio,ſeu præſidum,reſtituit,res iam iudicatas iterum examinādo, ſiue ciuiliter actum eſt, ſiue criminaliter; adeò vt pœna,qua quis per

Neq; præfectus prætorio,neq; prouinciarum præſides habent imperiū merū

illorum

illorum ſententiam afflictus eſt, imminui poſſit à principe, vel in integrum reſtitutio concedi.l.præfecti.ff.de mino. xxv. an.l. diui ff.de pœnis. Nec ius habent illi (ſicuti nec eorum legati) damnatos reos liberandi, criminiſq; remittendi,aut ampliãdæ, minuendæve pœnæ damnatorum.Nec poſſunt exulibus commeatum,remeatúmve dare.l.acta.§.de ampliãda.de re iud.l.4. &.l.ad beſtias.ff.de pœnis.l.Solet.de offi.proconſ.quod ſumma cum poteſtate imperij princeps facit.Si maiores hi magiſtratus cum mero imperio non ſunt,ergo nec alij minores habent:ſed in ſolo rege eſt tam connexum,vt auelli non poſſit.Vnde ſi rex, etiam ſola regia ductus liberalitate, ſuæ ditionis oppidum, locúmve aliquem donet,non cenſetur hoc imperium merum donaſſe,cuius nemo capax eſt præter ipſum ſolum principem:qui tametſi ſe hoc donare exprimat,ſeq; abdicãdo in aliũ transferre velle,non tamen amittit imperiũ,ſi non & populus pariter cõſentiat,à quo illud eſt.l.pen.ff.de offi.præſ. Tum quidem iuriſdictio transfertur, ſed merum imperium, quod lege regia datũ eſt principi,non poſſe tranſire verius eſt: quandoquidem, maiore omniũ opinione,indelegabile eſt. Hoſtienſ. cardinalis dictum ſingulare commendant omnes in cap. dilecti de maio. & obe. Vbi aſtruit,quod rex vel princeps non poteſt inuitis incolis caſtellum,vel ciuitatem ſibi ſubiectam alteri ſubiicere. Subditorum intereſt(ait Innõ.)non mutare dominos.cap.Auditis. de præſcr. Tantùm igitur in donationibus pleniſſimæ iuriſdictionis permittitur agere negocium publicum,cognoſcere, iudicare, exercere omnẽ iuſtitiam.Cæterùm, aliud eſt habere exercitium iuriſdictionis,aliud eſt habere ipſam iuriſdictionem.l. 1.§.Qui mandata.ff.de offi.eius &c. Vſitatum & regulare eſt,vt quiſquis alterius vices gerit,habeat ille quidem duntaxat exercitium illorum iurium,quæ penes alterum manent. Nemo neſcit in ſignum priuilegij cuiuſdam ſingularis multa eſſe in eccleſia ſummo tantùm pontifici reſeruata,quæ in neminẽ alium cadunt.Enumerata id genus plura comperies in cap.4.de offi. leg.Et epiſcoporum iura quædam ſunt, quæ nec tacitè nec expreſſè poteſt epiſcopus alijs remittere, prodita per Laudunenſem.In cap.1.§.exẽptione.de cenſ.in 6.Viſitatio,correctio, procuratio,& cathedraticum: hoc ideo(vt ait)quia ſub imperio epiſcopali mero continentur,quod à ſe nemo poteſt abijcere:nec

Imperium merum non eſt à rege ſeparabile.

poteſt epiſcopus alium iudicem ordinarium, quàm ſe facere in diœceſi ſua. Text.cum gl. in can.1.xvj q.1. Quare aſſero, quòd in regno etiam ac ciuitate merum imperium regi ſoli proprium eſt, ab illo inſeparabile. Ante Bonifacium octauum in dubitationem magnam deducebatur, an Romanus pontifex ſedē renunciare poſſet fratribus ſuis cardinalib⁹, & papatui cædere. Incertitudinem hanc Bonifacius nouo ſuo decreto auferre de medio voluit.cap.1.de renunt.in.6. autoritatem maiorem habiturus, ſi non tanti ſua interfuiſſet Celeſtini renunciatio. Dico igitur, quum ſit adhuc à nemine decretum contrarium, regem non poſſe id imperium merum ad alium transferre. Nec per regiam donationem (quantumuis in aliquem larga ſit & generalis conceſſio) intelligitur quis eximi principis imperio ac poteſtate. Non poteſt rex facere, quin ſit omnibus, & agnoſcatur in regno ſuo ſuperior. Peracutè multa hinc non abhorrentia ſcripſit Lucas de penna.l.Quicunque.de omni agro deſ. lib.xj.C.concludens regalia non poſſe ad regem non pertinere, etiam ſi rex aliter vellet. Voco regalia, quæ regi ſoli tanquàm regi conueniunt: qualia deſcribuntur in ſuprà citato titulo, Quę ſint regalia. Quondam publica dicebantur, quum per populum regerētur omnia. Poſteà redacta in monarchiam republica, quæ fuerant populi, facta ſunt regis, & nuncupata regalia: quæ in priuatum nullum, nec in aliquem de populo cadunt. Plerique magiſtratus habent poteſtatem animaduertendi in facinoroſos, quibus rex quaſi propriam ſuam iuriſdictionem dedit: qui ad reipublicę vtilitatem ipſius principis vicem ſuſtinent, & prouincias adminiſtrant, principiſq; partibus non rarò funguntur in inueſtigandis reis, exigendaq́ue ſeueriſſima vindicta criminū. Sed quia non pro ſuo imperio hoc agunt, ſed pro eo, cuius mandatu ius dicunt: ideo non exiſtimantur habere merum imperium. quod dixerim argumento.l.3.ff.de offi.eius cui &c. Nam qui alienam iuriſdictionem ſuſcepit, & exequitur, proprium nihil habet, ſed alieno vtitur. Non agam pluribus, quid enim opus eſt? quando aliter dicere iam planè ſit apud me nugari. Et quis etiam nō ibi ſummam poteſtatem libenter collocet, vbi ſumma fortuna eſt? Dubius incidit locus, & ſcrupuloſa diſputatio, Num & papæ conueniat hoc imperium merum? Quia mandatū eſt, reos ſanguinis defendat eccleſia, nec ſãguinis effuſi particeps fiat. can. reos

Regalia.

De mero imperio eccleſiæ.

reos. 23.q. 5. Et impios corrigi cupimus, non necari, dicit ibidem Auguſtinus.can.Vnum.Clerici quondam, monachique tanta animi propenſione ferebantur ad illorum tuitionem, vt iam damnatos ad pœnæ locum pergentes auderent præfectis, & ſatellitibus tumultuoſè ac violenter eripere : quod amplius fieri prohibuerunt Arcadius,& Honorius impp.l.Addictos.de epiſc.aud.C.igitur,quid papę necis poteſtas,qui neminem necare debeat? Sed verius eſt,hoc etiam imperium non eſſe denegandum eccleſiæ, quum longè maius habeat, quippe cuius eſt vterq; gladius.Magnis enim parua dari ſolent in acceſſionem: tamen illud alijs delegare,aut relinquere debet exercendum,& negligentes ad hoc etiam compellere:ſic enim facinoroſis opē ferre ſolita eſt,vt ſanctitatis ſuæ non inquinet opinionem,néve det vllis occaſionē delinquendi,& rem publicam turbandi.can. hi qui.14.q.6.Vbique tamen (ſi non res & cauſa vrgenter poſtulet)à ſanguine continentes,nedum manus ac ſententiam,ſed & oculos ipſos habeat.cap.pen.Ne cler.vel mo. Execratur dominus apud Iſaiam manus plenas ſanguine. cap.1. Roget quis adhuc,tantam poteſtatem cur pontificibus tribuis,ſi non conceditur vti? Imo verò vtuntur,per ſe quandoq;: nam Leo quartus egreſſus Roma cum exercitu Hoſtiam profectus portu & littore Saracenos prohibuit, cumque his dimicauit. can. Igitur. 23.q.8. Ac ne putes apoſtaticum fuiſſe,non apoſtolicum virum, quanta hoc ſanctitate, quanta religione bellum geſſerit, & quibus auſpicijs, apud Platinam ſcriptum comperies in eius vita. Vtuntur & per alios frequentiùs, quibus gladium demandant, & quos, dum res Chriſtiana poſcit, ad arma licitè vocant & inſtruunt.Scilicet,aduentante Turca, bellum ſacris & altaribus intētante (quod de ſciſmaticis & hæreticis dictum volo)pontifex de ciuitate in ciuitatem fugiet?aut orabit ſolùm?ac non ſimul contra hanc vaſtitatem principes & populos fideles armabit? hoc non fecerunt apoſtoli,quia quos armarent, non habebant, eccleſia tum ſterili ac deſerta, cuius nunc multi ſunt præpotentes filij: nihilque vis tum profuiſſet, aut fidem iuuiſſet. Conſequenter dictis aſſero,eccleſiam (cuius imperium nedum publicum,ſicuti & regis, ſed etiam diuinum eſt)ius habere regalium(velut & imperij meri poteſtatē) quæ ſolent appellare legem iuriſdictionis. cap.dilectus. de offi.

Papa belligerans.

Eccleſia regalia capit.

ordi. Quomodo ergo ſolius principis imperium merum eſt, ſi pontifex idem hoc habeat? quaſi verò principum nomine pontifices non intelligantur. In ſacris vſitata locutio, vt ſummi ſacerdotes, principes ſacerdotum dicantur. Et eccleſiæ principes nominat Hieronymus. can. 4. diſt. 35. Et regale ſacerdotium. 1. Petri, 2. Sed hoc omitto. Nam (quod ait Ariſtoteles) ſacerdotium aliud quiddam ponendum eſt à magiſtratibus ciuilibus. 4. politi. Nos horum ciuilium duntaxat, extra eccleſiam, populariumque dignitatũ regẽ tenere faſtigium intelligimus: qui ſolus inter regni ſui primates ac magiſtratus habeat imperium merum: ſic enim Lotharius, cuius eſt noſtra concluſio, ſenſit, Azone contradicente. Duces, comites, & huiuſmodi primores in populo, regis clientes & feudatarij non ſunt ex ſe regalium, imperijve meri capaces, etiam rege volente: niſi velit & populus expreſſe, cuius eſt imperiũ, faſces, legiones, omnia dare: quæ dedit vni regi, tametſi regis permiſſione illud adminiſtrent alij ſæpe reguli.

In ſpiritualibus imperiũ merum eſt.

Eſt imperij meri genus aliud, quod aſcribitur eccleſiæ, dum clericos ſuos exauthorat: id eſt, ordine & officio mouet (depoſitionem vocant) aut officio duntaxat interdicit (quæ ſuſpenſio eſt) dum communione Chriſtiana priuat (hoc regali formidabilius imperio) dum purgationem diffamatis indicit, aut pœnitentiam delinquentibus imponit publicam: præterea, diſpenſatio, templorum virginumque conſecratio, clericorum ordinatio, eccleſiaſtici ſunt imperij meri, ſolis epiſcopis attributi, quod alij nemini committi ſeu delegari poteſt. Durandus ſuo θεωρηματικοῦ, id eſt, ſpeculatoris agnomine dignus iſthæc prodidit in tit. iam citato, de iuriſdict. om. iud. Prænotaui deportationem, & metalli coërcitionem, aliaque multa, citra mortem, res eſſe imperij meri.

De mero regis & eccleſiæ imperio ſatis: aliud iam ponamus regibus proprium.

Curſus eſt certus rerum temporalium, pro quibus & pontifices ipſi legibus vtuntur ciuilibus: & in quibus quicquid contra leges accipitur, per leges diſſolui meretur.

DE

DE IVDICIO RERVM temporalium.

Indubitabilis eſt hæc annotatio:nempe aliud nihil continet, quàm quod ad Iulianum quendam ſcriptum eſt à Cypriano:& quod Leo quartus Lothario, Ioannes ſeptimus Ludouico reſponderunt: quorum verba Gratianus vnde vnde ſumpta repetit in ſuis diſtinctionib.can.Quoniam.& ſequẽtibus aliquot. 10.&. 96.diſt. Ego autẽ hîc accipio curſum, pro modo quodã & ordine rerum gerendarum. Sicuti apud Ciceronem in Catone maiore dicitur,Curſus eſt certus ætatis.Curſus eſt certus, id eſt,ordo quidam & modus in rebus temporalibus: qui quidẽ curſus regio tantùm iure diſponitur ac regendus eſt. Quæ mundanæ tantùm vitæ ſtatum atque fluxas huius temporis & ſeculi res contingunt,temporalia,ſiue res temporales & ſeculares dicimus: quibus opponũt ſpiritualia, id eſt,ea quæ ſpiritum,hoc eſt,animam noſtram concernunt(à ſpirituſancto data, ſcilicet) verbum dei, & myſterium regni cœlorum, id eſt Sacramenta eccleſiæ,& quæcunque tantùm pertinent huc. Temporalia igitur vocamus prædiorum prouentus, poſſeſſiones,& bona tam ſoli,quàm mouentia: ſed & per conſequentiam,temporalia dicunt ea,quæcunque nos agimus reſpectu & contẽplatione prædictorum:vnde iuriſdictio temporalis,de qua pauló póſt. Concluſio probatur. Sancti patres diuino ſpiritus inſtinctu canones ſanxerunt,de ſalute animarum tantùm ſoliciti, & harum periculis obuiam euntes. 33.q.2.can.hoc ipſum. cap.1. de treug. & pa.cap.1.de conſtitut.in.6. Negociorum verò temporalium regimen & adminiſtrationem,tanquàm ſuo viuendi inſtituto non apprimè conuenientem, principibus ſeculi reliquerunt, atque horum legibus & ſtatutis viuere voluerunt,ſubditi regi, & ducibus ab eo miſſis: nec fas eſſe crediderunt,terreni regis conſtitutionem ſoluere: adeò,vt vbicunque publica poſtulat vtilitas, parendum duxerint. Tributum petit imperator,agros,cenſum. Non dono(inquit Ambroſius)ſed non nego: nam poteſtatem habet vendicandorum,qui & licitè rẽ eccleſiæ publicat, ſi contra leges vtilitati communi ſubtrahatur.l. Iubemus nullam. C. de ſacroſ.eccleſ.can. Si tributum.& can.Magnum.xj.q.1. Sunt hæc igitur ciuilia iura extra cauſas dei obſeruanda irrefragabiliter,nõ ſolùm propter metum,ſed etiam(ſicuti eſt à diuo Pau-

Tẽporalia, & ſpiritualia.

Regũ legibus eſt obediendum in tẽporalibus

lo ſcriptum) propter conſcientiam. Vnde ſunt infames in eccleſia, quoſcunque leges ſeculi infames pronuntiant: & in accipiendis preſbyterorum & epiſcoporum accuſationibus, legũ ſententia exquiritur: in eccleſiaſticis, noui operis nuntiatio iure ciuili terminatur: in cauſis clericorum, loci conſuetudo inſpicitur. 2. q. 3. can. Euphemium. 3. q. 9. can. dignum. cap. 1. de noui ope. nunti. cap. conſtitutus. de in integr. reſtit. Videas in Rhapſodia Felini plura. cap. eccleſia. de conſtit. quæſt. 1. Breuiter, quoties vtilitas agitur extrinſeca, tunc in adiutoriũ noſtrum terreni imperij leges aſſumimus, illiſq; viuimus: cõuenienter ad Auguſtinũ dicentem, Per iura regum poſſidẽtur poſſeſſiones: iure humano, .i. iure rectorũ ſeculi dicitur, Hęc villa mea eſt, hic ſeruus meus eſt, hæc domus mea eſt. can. Quo iure. 8. diſt. Quod Auguſtini verbum Gratianus exponens, ait in §. his ita reſpondetur. xj. q. 1. parte ſecunda illius quæſtionis, Ab epiſcopo clerici vnctionẽ, decimas, & primitias accipiunt: ab imperatore prædiorum poſſeſſiones nanciſcuntur: vnde ex officio ſunt epiſcopo ſuppoſiti, ex poſſeſſionibus prædiorum, regi ſunt obnoxij. Quò reſpexiſſe videtur interpres cap. fi. de præſcript. in fi. gloſ. ſuæ ad verbum, tam canonica: ponens cum communi doctorum ſententia, quòd quibus in locis eccleſia temporalem habet iuriſdictionem, non ſecundum canones & pontificias ordinationes, ſed ſecundum leges regias, & ciuiles iudicare dẽbet: tumq; ab epiſcopo non appellatur ad Metropolitam, aut alium ſuperiorẽ iudicem eccleſiaſticum, ſed ad regium tribunal. Autor eſt Durãdus in ſpeculo. tit. de appel. in fi. §. Nunc videamus, ad quẽ &c. Celeſtinus tertius, ſcholæ Pariſienſi particulariter fauit in cap. Quod clericis. de fo. comp. dum voluit ſcholaſticorum cauſas omnes, & aduerſus quoſcunque, ſiue agant illi, ſiue conueniantur, non alio iure q̃ canonico decidi. Abrogatũ eſt. Multò fortius hoc dicendum, ſi cognoſcat epiſcopus inter vaſſallos feudi, quod habuit à rege. Rectè Baldus in prçludijs feud. Quoties (inquit) eccleſia rem capit in feudum, ſicut alij vaſſalli, ita & hæc domino præſtare tenetur fidelitatis iuramentum: quod ſi poſteà non ſeruauerit, feudo priuabitur per feudales conſtitutiones, quæ ligant etiam in feudis ſuis eccleſiam. Idem & Panhor. in cap. Cęterum. de iudi. qui pariter in cap. Verum. ibidem aſſerit regem prçferri & præſidere quibuſcunque prælatis ab eo feuda tenentibus:

tibus: quos ſi papa hinc, & hinc rex euocet, huic obediant, illo contempto, quatenus ad feuda & regalia pertinet. gloſ. can. Reprehenſibile. 23. q. 8.

Prædictis cõueniunt ea, quæ ſunt à Bart. tradita in l. Reſcripto. §. fi. ff. de muner. & hono. quòd ſi prædiũ tributarium detur eccleſiæ vel clericis, tenentur ad tributa: cauſã dicunt eſſe, quia res tranſit cum onere ſemper & ſua cauſa. l. alienatio. ff. de cõt. empt. Nec diſſentire gloſſa mihi videtur in cap. 4. de immunit. eccl. Vt hic de pontium atque itinerum inſtructionibus taceam, ad quas obligatam ſe non inficiatur eccleſia, iuxta Theodoſij & Honorij conſtitutionem. de ſacroſ. eccle. C. & etiam ad quaſcunque reipublicæ neceſſitates: in acta relatum eſt, iudicatum pridem fuiſſe per Senatum Pariſiẽſem, quòd clerici teneantur ad ratam debitorum publicorum ſolutionem, propter hæreditates paternas, ad id oneris priùs obligatas. Quod ne factum quis exiſtimet iniquis illis opulentiæ clericorum temporibus, iam penè trecenteſimus agitur huiuſce iudicij annus, vti eſt in Areſtorum collectaneis per quendam Io. Gallum regij fiſci aduocatum. Huc attinet. l. 3. C. de Epiſc. & cler. Gentilium pontifex, multis alioqui ſubnixus priuilegijs, munera tamen patrimoniorum cogebatur agnoſcere. l. ſi. §. patrimoniorũ. ff. de mu. quod Accurſ. ad clericos quoq; transfert. Non tunc in perſonas, ſed in res ipſas & prædia dictatur iudiciũ. Verum eſt (quod prolixè tractant in. d. cap. eccleſia. S. Mariæ. de cõſtit. & aliubi) patrimoniũ clericorum habere priuilegiũ, quale & eccleſiæ bona. can. Similiter. 16. q. 1. ſed (puto) quod modũ probabilẽ non excedat, intra vitæ neceſſitates duntaxat concluſum. Quin & ipſa eccleſiæ bona vectigal & tributum regi pendunt, vbi ſalus & defenſio reipub. poſtulat, vrgetque neceſſitas. l. Placet. & l. neminem. C. de ſacr. eccl. tex. in can. Sancitum. 23. q. 8. Qui rex erat regum, & dominus dominantum, cui Cęſar omnia debebat, animam, corpus, imperium: Cæſari tamen cenſum docet, ac tributum reddi: & ipſe didrachma ſoluit, non quia debeat, ſed ne offendat. Matth. 17. Quid (ais) eccleſiam ſubdis conſtitutionibus & ſtatutis laicorum? quos obſequendi manet neceſſitas, non autoritas imperandi. d. cap. Eccleſia. de conſtit. Ego viros pios omneis cuiuis humanæ creaturæ ſubijcio propter dominum, ſiue regi tanquàm præcellenti, ſiue præſidibus

Clerici tributa ſoluũt

I iij dibus

dibus qui ab eo mittuntur, & alijs omnibus magiſtratibus: Hoc ſi Petrus eccleſiæ princeps voluit,1.Petr.2.cur nos reſiſtemus? Non eſt enim religionis occaſione turbãdus ordo reipub; Generale pactum ſocietatis humanæ (inquit Auguſt.) eſt obtẽperare regibus ſuis.can.2.diſt.8.verum (vt dixi) propter dominum, id eſt, ad Chriſti laudem & gloriam tantũ. Quando ſtatutum vel lex iuſticia naturali firmatur, huic ſubiacet eccleſia, ſi nõ propter ipſam legem, certè propter legis rationem. Panhor. hoc aſſerit & repetit in.d.cap. eccleſia. Sponte ſeruantur ab eccleſiaſticis, non quia leges, ſed quia ſanctæ ſunt & bonæ multę leges imperatorum: ne propterea ſubiectam dixeris eccleſiam, in qua prior tacet vbi fuerit aſſidenti reuelatum quippiam, vt omnia fiant ad ædificationẽ.1.ad Corinth.14. Nolo tamen laicos liberè creditam viris eccleſiaſticis rerum quarundam ſecularium diſpenſationem auferre, deque facultatibus eccleſiarum pro nutu diſponere: quod Baſilius fecit, eccleſiaſticæ quidem amore ſubſtantiæ, ſed nimis pro imperio, propterea ſynodo non placuit, & meritò.can.1.diſt.96. Ad tributa quod attinet, Horrendũ eſt, & impium, quòd audeat homo tributarium habere deũ, filiuſq; matrem. Nunquid gloriabitur ſecuris contra eũ qui ſecat in ea? Eſaiæ.x. Si non principibus placeat Honorij, & Theodoſij Auguſtorum cõſtitutio.l.v.de Sacro.eccl.C. Si Ludouici quoq; Pij regis Galli diſpliceat autoritas, ex concilio quodam Pariſienſi in can.Secundum.23.q.8. aliorumq; piorum principum decreta multa. Magni ſaltem regis Artaxerxis edictum legant Eſdr.1. cap.7. quò vetuit ethnicus princeps, ne ſacerdotibus annonæ, tributum, vectigal imponerentur. Exemplũ tantò dignius imitatione, quantò ſummi dei religioni conuenientius, & excellentius pietate. Cæterùm, qui conſuluit ab eo, qui veſtimentum aufert, haud eſſe prohibendam tunicam: & ei qui vult etiam iudicio contendens tunicam tollere, remittendum quoq; palliũ. Matth.5. Lu. 6. quid hunc in neceſſarijs rerum publicarũ functionibus voluiſſe nos facere putas? Parendum, quatenus id licet incolumi Chriſti gloria. Vterq; fuit immunis à cenſu, & tamen in tributi ſolutione Chriſt⁹ Petro coniungi voluit: Da pro me & te (inquit) ne ſimus illis offendiculo. Dicam ſummatim. Põtifices & clerici pro officio ſacerdotij principes ament vt filios: in alijs autem venerentur vt dominos, & in illorũ ſalute ſuam

ſalutem

ſalutem poſitam fateantur. Diuus Gregorius papa imperatorē Mauricium vocat dominum noſtrum.can. ſacerdotibus. xj.q.1. Et alios quoſdam principes ſereniſſimos dominos idem nominat.can.Salonitane.63.diſt.Iuratur ab epiſcopo per ſalutē dominorum noſtrorum.N.&.N.cōſulum rempub. gubernātium, can. Quotiens.1.q.7. Victimis omnibus melior eſt obedientia, dum Chriſtus non offenditur.Vt abſoluā de tributis, Ambroſius ad Sororē ſcribit.Si petit imperator quod meū eſt,reſpondi(quanquàm omnia quæ mea ſunt,eſſent pauperum)ius tamē huiuſmodi meum non refragaturum:verùm ea quę diuina ſunt, imperatorię poteſtati nō eſſe ſubiecta.Nos homunculi poſt tātum vitū pugnabim⁹ de neſcio quibus perceptis fructibus,quos noſtros eſſe conſtat? quos nec patriæ, nec pauperibus, ſed nobis ſolis conſumimus? pergamus. Inualuit & vetus eſt in Gallia conſuetudo,non alios quàm regios iudices de mixtis & realibus clericorum actionibus cognoſcere, ſed & de perſonalibus quibuſdam, per Maſuriū iuris & vſus forenſis peritiſſimū in tit.de iudi.& iuriſd. Imò quoties eccleſia ipſa de re immobili prophana experitur,adeundus eſt laic⁹ iudex.Nam per regnum Francię prælatis omnibus actionum realiū cognitio vetita eſt.Proditum hoc inuenies à Io. Fabro in §.item ſeruiana inſtit.de act.Et apud Aufreriū legimus areſto parlamenteo grauiter mulctatum epiſcopum quendam Cabilonēſem, qui contrà fuerat auſus,ante annos ferè ducentos.Meminit & Baldus huiuſce cōſuetudinis Francicę in auth.Clericus.C.de epiſc.& cler. vt iniquā tamen reprobans. Huic innitūtur iudices regij, ſoliti quotidie pronuntiare de poſſeſſionibus beneficiorum eccleſiaſticorū,& decimarū,& quorumcunq; talium ſpiritualiū : ita vt ab illis ſolis remedia poſſeſſoria petantur. Inter pios & religioſos maiorum noſtrorū animos diu controuerſum fuit,an hæc iudicia licitè exercerent homines prophani in cauſis eccleſiaſticis,quas attingere verebātur:Nec ſatis adhuc intelligo,qui poſſint,quū primitię & decimæ ſint portio leuitica,in quā princeps ſeculi non habet quicquam.can.Si in morte.23 q.8.& etiā quū iuſtam benificij poſſeſſionem nemo dicere debeat, quam iuſtæ collationis titulus non præceſſit, ſine quo beneficia poſſideri nequeūt.vt eſt in regula prima iuris in.6.Beneficij verò titulus merè ſpiritualis eſt,alienus ab omni ſeculari iudicio.Certè,quo

Clerici non iudicant in realibus & poſſeſſoriis.

pro tribunali agitur de proprietate, puto & agendum de poſſeſſione: cauſæ alioqui ſpiritualis continentia diuidetur: vbi iuſtè non poſſidet, qui autore tantùm prætore poſſidet, ſed qui iuſtum titulum habet. Hac de re prolixiùs Panhor. in cap. 2. de iura. cal. Dixiſſe ſufficiat, quod hanc omnem abſurditatē eleuat diuturna conſuetudo, quę dat etiam iuriſdictionē, imò nōnunquā & à peccato excuſat homines, cùm iuri diuino cōtraria non eſt, ac de illicitis licita facit, vti annotant vlt. cap. de conſ. Prętcrea, Martinus quintus Caroli ſeptimi regis noſtri poſtulatis reſpondit, citra vllius cenſuræ eccleſiaſticæ metum iudices regni laicos de beneficiorum poſſeſſorijs definire poſſe. Reſcripti verba refert Guido papæ quęſtione. 1. ſuarum deciſionum. Tum duo de pontificatu certabant: quo tēpore nihil non ſolet altera pars indulgere, quo vincat alteram. Nollem patrium morem contumaciter repudiare, tantùm dixerim fœlices proauorum atauos, & ſimul optarim vt hunc vſum lex & ratio melior quandoque vincat. Cæterùm, hæc vt apud omnes conſuetudo probata non ſit (quæ ſcriptis legibus omnibus contraria eſt ab opiniosis quibuſdam defenſa) tamen extra controuerſiam eſt, pontifices regibus poſſeſſionum prophanarum iudicium ſemper reliquiſſe cap. Lator. Qui filij ſint legit. Videri poteſt eccleſia cœlo duntaxat, & diuinis animum intendens, & cuius conuerſatio iam non eſt cum hominibus, mundana hæc & terrena prorſus abieciſſe: non ignorans id quod quadam ex parte, natura docet, agros & immobilium quarumcunque rerum poſſeſſiones regi ſubijci: vt iuxta doctrinam apoſtoli, reddamus omnibus quod debetur: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: ad Ro'm. 13. Et hanc alioqui ab omni ſtrepitu temporaliū ceſſare conuenit. Non quia talibus indigni ſint ſacerdotes Chriſti, ſed quia talia ſunt indigna ſacerdotibus ad altiora vocatis. Accedit, epiſcopos ſeu presbyteros non eſſe ordinatos iudices, aut cognitores ſecularium negociorum, & litiū aduocatos. can. Te quidem. & ſeq. xj. q. 1. Et ſuprà. de poſtulando. In promptu ſunt cauſę, Ne prępocati mundanis hominum curis, non poſſint verbo dei vacare. Nempe quod ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque officio noſtro decerpitur, ait Ambroſius. can. Cui portio. 12. q. 1. Néve per eandem linguam, per quā laudes refert deo & diuina libat officia, litium venena proferat: ait idem

Nō ſunt ſtatuendi ſacerdotes in ꝓphanis iudices aut aduocati.

idē de ſacerdotali dignitate. cap.4. Itē,Ne falcē iudicij mittat eccleſia(quod nec debet,nec poteſt)in eā ſegetē,quę alteri com miſſa eſt demetēda.can..16.q.3. Vnde & Alexāder terti⁹ reiecit appellantem à ciuili iudice ad pontificis audiētiam.cap.Si duobus.de Appell.Idem pariter hæreditatum iudicium regibus dimiſit,ab hoc abſtinens, ne iuri principis detrahere videretur. cap.Cauſam quæ.Qui filij ſint leg.Antonium Brut.in cap.”decernimus hoc tit.ſequitur archiepiſcopus Panhor. putantē peccare preſbyteros,qui delegationes principū ſuſcipiunt in cauſis peragendis: hoc ſi non exigat publica fideliū & Chriſtianorum vtilitas,qualis refertur in ca.4.de rapt.Quod & ſpecialiter vetatur in cap.2. & cap.4. Ne cler.vel mon.&c. Quid hîc mihi dicturi ſunt tot Palatini ſacerdotes,quibus tribunalia ſunt altare dei,& rixoſæ iurgantiū turbę ſunt chorus hymnos deo pſallētiū? Quid illud eſt apud Paulum, Nō oportet epiſcopum eſſe litigioſum? Quid ad citata ſuprà iura reſponſuri,quæ ſancti patres ſpiritu dei pleni ſanxerunt? Exceptam autem vbique volo temporalem eccleſiæ iuriſdictionem,de qua paulò pòſt: quam vel lex,vel priuilegiū, vel conſuetudo rationi conſentanea tribuit eidem.can.Conqueſtus.9.q.3.Lex in decimas,altaria,baſilicas,tanquàm in hæreditatem domini,ius dedit ſacerdotibus : pro quibus & ipſi gratis cum Ambroſio immolari ſuſtinēt.can. Conuenior.23.q.vlt.Priuilegium(quod eſt principum,vel maiorum indultum,quo,veluti lege quadam priuata,quid cui ſingulatim conceditur.can.3.diſt.3.)ius confert non minus,& æquè firmum,ac lex: nec debet aliqua improbitate conuelli.can. priuilegia.25.q.2.Conſuetudine quoq;,cui veritas ſuffragatur, nihil oportet firmius retineri: nam pro lege ſuſcipitur, & approbata dat iuriſdictionem.can. fruſtra.8.diſt. cap.Dilecti. de arbitr. Præter hæc tria(aut ſi quibus etiam princeps,extra ſanguinis iudicium, negocia ſua cōmittat) meminerint ſacerdotes à Chriſto ſe tantùm electos ſalutis miniſtros.can. Sæpe.23.q.8. Sed & illa ſuperiora ſi contingant, debent adhuc ſacerdotes ex æquo & bono exercere,habita honeſtatis & iuſtitiæ ratione, nō ad viuum per vafras quaſdam formularum cautelas exequi, vt meritò etiā iuris nominentur ſacerdotes : qui ſemper exiſtiment non tam ſibi iuriſdicendi creditos faſces,quàm demandatū ſacerdotium religioſis officijs miniſtrandum.Et hinc reddi

Eccleſiaſtica iuriſdictio.

cauſa poteſt, cur epiſcopus prehenſionem non habet, id eſt, delinquentem clericum capere non poteſt, & in vincula duci iubere, niſi fortè deprehenſum in eccleſiaſtico ſuo auditorio. Solius enim principis eſt hæc manus iniectio, autore Baldo in.l. Siquis curialis.C.de Epiſcopis & cler.Hoc eſt, quod idem Cynum ſequutus aſſerit in.l.epiſcopale. C.de Epiſc.audi. Epiſcopos non habere territoria extra ſuas eccleſias, & illarum ſepta. Fingamus ab epiſcopo condemnatum clericum quempiam ad ſolutionem centum tibi debitorum, aut facinoroſum clericum multa patraſſe: qui contumax eccleſiæ cenſuras, & epiſcopale iudicium contemnit: quare bona debitoris capienda ſunt, vt ſatiſfiat: aut ducendus eſt ille criminoſus, id eſt, vinciendus & in carcerem mittendus: profectò, non hoc epiſcopus, ſed ordinarius eius loci iudex exequetur, autoritate regis, cuius eſt epiſcopales cognitiones & definitiones tueri.can.principes.& can. inceſtuoſi.23.q.5.d.l.Epiſcopale.de epiſc aud.C.

Epiſcopi non habent prehenſionem.

Maximorum duorum ciuitatis noſtræ magiſtratuum iura propria, qua potui breuitate, concluſi. Nunc ſimul his duobus quæ conueniant, explicare conabor.

COMMVNIA VTRIVSQVE.

Non minus eccleſiæ, quàm regis in omneis miſtum eſt imperium.

DE FEVDIS, PRAEDIIS, ET temporali eccleſiæ iuriſdictione.

Num iuriſdictio temporalis eſſet eccleſiaſtici muneris, multi quæſierunt: & non eſſe, reſponderunt omnes Martinaſtri: quorum flagitioſiſſimus quidã magiſter Petrus de Cugnerio, tam nunc inter noſtrates ridiculum nomen, quàm fuit olim formidabile. Procurabat hic in vniuerſa Gallia regium fiſcum, tempore Philippi Valeſij. Regem ſuis aduerſus eccleſiam calũnijs eò perduxerat, vt eccleſiaſticis omnem temporalem & ſecularem iuriſdictionem prorſus auferre quandoq; rex cogitarit: & quicquid illi feudorũ, reddituumq; temporalium poſſidebant, præter decimas quaſdam, primitias, & alias id genus fidelium oblationes, nil illis relinquens. Qua de re concilium præſulum omnium regni, procerumque Galliæ conuocatum eſt in ſaltum Vincennarum: regale eſt hoc prętorium primo ab vrbe Lutetia

Magiſter Petrus de Cugnerio, qui nũc eſt, de quignet

lapide. Egit eccleſiæ cauſam Petrus Bertrandus Hęduorum Epiſcopus, exorſus ab illo Petri dogmate, Deum timete, Regem honorificate. Cugnerius hanc oppugnabat, & quod impiā perditamque magis augebat hominis audaciam, proprijs eccleſiæ telis, initium faciens ab illo Chriſti verbo, Reddite Cæſari, quę ſunt Cæſaris: & quæ ſunt dei, deo. Extat apud aliquos vtriuſque actio. Tandem hîc (vt ferè ſemper, & vbiq;) veritas vicit. Multis vltro citroque dictis, & re vtrinque vehementer concertata, rex ipſe, qui concilio præerat, Eccleſiam, pronunciauit, & feuda & temporalia quæq; bona propria ſibi poſſidere poſſe, atq; in illa iuriſdictionem habere. Aptsov mēſe Decembri anno Chriſti. 1329. Diuinitùs ita comparatum eſt, vt vel omnibus tacentibus, occulta quadam via peccata ſuos traducant autores. Inuerſum ex eo Cugnerij nomen eſt, qui pudore ſimul & ira confuſus iam ſe pro ſolito non dabat in publicum: vnde quaſi latitaret in angulo aliquo, vocari cœpit, alluſione faceta, ſermone quidē noſtro, Magiſter Petrus de Quigneto: hoc Gallis angulū ſignificat. Et in maiore Virginis æde Lutetię veri mihi fit ſimile, tum nomen ſumpſiſſe vnum ex illis Athlantibus lapideis, ab iſto magiſtro Petro ſacris & ſacerdotibus tam infēſo nebulone: qui homo quum nihili eſſet (Nam & hunc fuiſſe gibbere deformem ferunt) regni tamen fulcimentum videri volebat, regiſque tutor vnicus. quo laborarunt omnes Martinaſtri vitio. Qui ſibi legitimi magiſtratus videntur, & patres patrię, ſi puniant interdum ſcelera quædam, quum alioqui ſcelerum omnium irritamenta præbeant principibus: quòd ſi technis quàm plurimum tributorum ac vectigalium è ciuibus & eccleſijs extorqueant, indictionibus & ſuperindictionibus omnia rapientes, in cœlo tum ſibi triumphant, & in arce magiſtratuum. Repetam rem longiùs, eccleſiaſticam iuriſdictionem, hoc eſt, imperium miſtum, quod habet eccleſia, expoſiturus. Primò ſuas eccleſiæ quaſcunq;, & quantaſcunq; poſſeſſiones afferam: deinde iuriſdictionem. A primis ipſis naſcentis eccleſiæ temporib⁹ (dum fremerent adhuc gentes, & reges terræ conuenirent aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius) hanc & habuiſſe, & multa poſſediſſe bona, loquūtur apertò diui Lucę verba, ſcribentis, Ad pedes Apoſtolorum certatim à fidelibus delata prædiorum diuenditorum ingentia precia, tanta quidem copia, vt tametſi magnus eſſet credentium numerus (ſupra ter mille) ta- *Sēper opes in eccleſia magnę.*

K ij men

Error fratricellorum ſeu pauperũ de Lugduno.

men non fuerit egens quiſquam inter illos, actorum apoſtolicorum quarto cap. Quoſdam fuiſſe, qui ſe arrogãtiſſime vocauerint apoſtolicos, eò quòd in ſuam communionem non reciperent aliquem res proprias poſſidentem, memorat & damnat Auguſtinus in libro de hæreſibus ad Quoduultdeum. Quare meritò damnati ſunt ab eccleſia dudum, qui mentiri ſunt impudenter auſi Apoſtolos fuiſſe mendicos. cap. 4. de verb. ſig. in extraua. Io. xxij. Poſtq́ue continuò ſacrorum cœleſtium vſibus dicata ſunt, & aſſiduè donata vſq; adeò multa, vt Vrbanus, qui tantùm decimus ſextus à Petro ſedit, omnia ſacrata miniſteria fecerit argentea: quod Damaſus in pontificali refert. Hic fuit Vrbanus, qui præfuit eccleſiæ, Alexãdro Mameæ regnante: ſub quo & paſſus eſt, quum multos nobilium ad fidem Chriſti conuertiſſet, anno ſalutis ccxxx. Ex chronico Cæſarienſis Euſebij. Sixtum pontificem cum Leuita ſuo Laurentio conſtat à Decio imperatore Romę fuiſſe interemptos anno ducenteſimo quinquageſimo quarto, quòd eccleſiæ theſauros tyranno prodere noluiſſent. Iã tunc igitur habuit eccleſia, quod princeps magnus rapere cuperet. Conſtantinus Helenæ Romanorum cæſarum trigeſimus quartus, in eo rerum faſtigio primus poſt Philippos Chriſtum profeſſus eſt Melchiadis, ac Silueſtri pontificum monitis & exhortatione, circiter annum domini trecenteſimũ decimum: qui poſtmodũ per vniuerſum Romani imperij orbem Chriſto deo templa permiſit extrui, & eccleſijs prædia conſtituit tribuenda. l. 1. C. de ſacroſ. eccl. quum nuſquàm foret anteà Chriſtianis locus, niſi ſecreta & latebræ: ſacella tantùm & oratoria intra priuatos parietes, non publica delubra. Quin ipſe religioſus imperator Fabricam templi primæ ſedis beati Petri inſtituit, adeò vt ſedem imperialem relinqueret, & beato Petro, ſuiſq; ſucceſſoribus profuturam concederet. Hæc Melchiades in can. Futuram. 12. q. 1. Et alterius cuiuſdam Silueſtro factę donationis apud Gratianum adſcriptum eſt ipſius Cõſtantini edictum, cum imperiali ſubſcriptione, Datum Romæ. 3. cal. April. ipſo Auguſto quartùm, & Gallicano Conſulibus: qui fuit annus à partu virginis. 316. ſi tamen in conſulatu Gallicanus Conſtãtini collega fuit: quem pòſt annis quatuordecim conſulem inuenio cum Symmacho: quartùm conſul Conſtantinus ſcribitur habuiſſe Licinium pariter Auguſtum collegam.

De donationibus eccleſiæ factis.

Ludouicum

Ludouicũ Caroli magni filium (à Gallis Pium cognominatum) Auguſtum Romanorum imperatorem, Francorumq́; regem conſtat & Romam, & Latium penè totum (quem ducatũ Romanum vocat) & Hetruriæ partem multò maximam ceſſiſſe Paſchali Papæ, pollicitatione facta beato Petro, de non contraueniendo, neque per ſe, neque per ſucceſſores ſuos. Idẽ poſteà rex Otto primus, & magnus Alemanorum imperator pollicitus eſt, ac iurauit Ioanni Papæ. can. Ego Ludouicus. can. Tibi domino. 63 diſt. Reges autem ſuis pactis & contractibus obligari cum ſucceſſoribus, non ſecus ac legibus, inter omnes cõuenit. cap. 1. de prob. Priſco iure certum, quòd ſi ob honorẽ decretum, vel religionem, vel ob aliam iuſtã cauſam facta ſit pollicitatio, qui pollicitus eſt, tenetur: nec minuitur in perſona hęredis obligatio. nulliusque pœnitentia reuocari poteſt. l. 3. l. Totiens. ff. de pollicit. & alijs in eo tit. ll. multis. Valla tamen in vtramq́; donationẽ declamat, & rhetoricatur, ingenij vires (quo fuit acerrimo) & ſtilum exercens, colluſoriam hanc, illam cõmentitiam fictamque nuncupans: interim tamen Melchiadis ſcripta, ſuprà relata, vera non diffitetur: & ſunt in eccleſiæ conciliorum libris. Inde malitioſa vafricie nouatores quidam fidẽter ſanè (vt omnia ſolent iſti) haud quaquam veriti ſunt eccleſijs ſacroſanctis auferre, quicquid eis rerum temporaliũ priſca fidelium pietas conſecrauerat, vix baſilicis ad cultum diuinum relictis: & tanquàm ciuili bello, noſtris contra nos erectis ſignis armisq́; pugnant proditores, è ſacris omnia detorquentes. Per me, de donationibus illis quod diſcrepat, in medio ſit. Euſebius tradit Conſtantinum credidiſſe, non ſatis ſibi facere videri, ſi ſe ſacerdotibus æqualem præberet, niſi eos longè præferret, & ad imaginem quandam veneraretur diuinę pręſentiæ, nono eccleſiaſticæ ſuæ hiſtoriæ libro. Quid illis (quæſo) vir hoc animo nõ erat donaturus, quos ſe maiores, dijs æquales exiſtimabat? à quibus auxilij nihil ſibi non pollicebatur? per quos tãtùm ſe regnare profitebatur? Ignorare puto neminem, qui modò legerit hiſtorias, & Conſtantinum, & qui ſucceſſerunt omnes ad hoc æui principes, per vniuerſas imperij ſui prouincias & honores ſummos ſacerdotibus detuliſſe, & cum plurimis priuilegijs maxima quoque bona, ac donaria contuliſſe, quę Siluester, Cyprianus, Hilarius, Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, & vbique

Ludouicus Pius.

Otto prim'.

cæteri ſanctitate vitę nobiles,& eruditione clari patres,docto-
res,& orbis magiſtri poſſederunt. Quis neſcit horũ tempori-
bus & dites eccleſias,& multorum reddituum ac poſſeſſionum
dominos fuiſſe preſbyteros? oſtendunt hoc generalia concilia
tum celebrata:ſatisq; ſingulorum libris deprehenditur. Aureos
calices,& gẽmata vaſa,menſas argenteas,& auro nitẽtia mẽſæ
coopertoria,cũ ſericis, holoſericis,& purpura in Chriſtianorũ
tẽplis fuiſſe,ipſis etiã tẽplis ambitione regia cõſtructis,iã tũ ſuo
tẽpore Chryſoſtomus oſtẽdit,homilia in Matthęũ quinquageſi
ma prima,cap.14.Matthęi.Ac tantas opes fuiſſe,tamq; vberes
& abundantes redditus,ac fructus collegiſſe dicit eccleſiã An-
tiochenam,vt in ſingulos dies aleret ad tria millia viduarum ac
virginum,& præter eas multis vinctis in carceribus auxiliare-
tur,multis in hoſpitali laborantibus,multis aduenis, multis le-
proſis,& omnibus qui altari aſſiſtunt,cibaria indumentaq; prę-
beret,multis etiam qui quotidie ad petendum accederent.Ho-
milia in Matthęum lxvij.cap.Matthęi.21.Non eſt in Gallia tam
potẽs & diues eccleſia.Homines profectò diuinarũ omniũ, hu-
manarũq; literarum doctiſſimi res tam multas, tamq; amplas
facultates in eccleſia dei nequaquàm ſuſcepiſſent,ac vitæ pro-
prię periculo ſeruaſſent,ſi reſpuendas abiiciendasque duxiſſent.
Argumẽtum eſt hoc Proſperi cuiuſdam valde pugnax. in can.
Expedit 12.q.1.Eſt in Iuſtineaneo codice titulus,De ſacroſan-
ctis eccleſiis,& de rebus, & priuilegijs earum. Hic legis auro,
prædijs,nauibus,& omnibus bonis abundantem eccleſiam, in
quibus à ſemichriſtianis Cęſaribus defenditur: & nos hanc plus
quàm Chriſtiani oppugnabimus? Loculos habuit in terra cœli
terræque dominus. Io.12.&.13. cuius humanis neceſſitatibus
angeli miniſtrabant.Mar.1.qui dat eſcã ſolus omni carni. Pſal.
135.Oſtendit hinc ille,dubio procul,eccleſiam ſuam, quæ de-
ſtituta gemit inter hos turbines & aduerſa mundi, loculos etiã
habituram licitè: non vt occulat,aut luxurietur, ſed vt eroget,
neceſſitatibusque ſubueniat.Vetita eſt craſtini ſollicitudo,futu-
rique prouiſio.Matth.6.ſed ita vetita eſt,ſi nobis nos melius pro-
uiſuros putemus,quàm deum communem omnium patrem,in
quo vno tota ſpes noſtra collocãda eſt,non in nobis ac labori-
bus noſtris.Propria (ni fallor) hæc officina eſt,vbi conſutũ fuit
eccleſiaſticæ pecuniæ marſupium: multis (prò deus?) auaritiæ,
libidinis

libidinis,temulentiæq́; fœminarum,quod eſſe debuit omnis integritatis ac virtutis conditorium: vti verè eſt,ſi tamen ſcierimus abundare duntaxat ad ædificationẽ eccleſiæ:nec eſſe ventri ſeruiendum, ſed iugiter ac ſemper in ſpiritalibus commorandum, vt qui vtuntur hoc mundo,tanquàm non vtantur: & qui gaudent,tanquàm non gaudentes: & qui emunt,tanquàm non poſſidentes.quod prioris ad Corinth.ſeptimo capite Paulus præcipit.Nuſquàm pecuniam Chriſtus, ſed pecunia detetos carpit: qui, re ita exigente, parati non ſunt omnia quæcunque poſſident abijcere,vendere,diſtribuere pauperibus,& ſequi dominum:qualis diues ille deſcribitur à Matthęo.cap.19.Non facit egeſtas pauperem deo cõmendabiliorem: quandoquidem non eſt deus marſupij diſcuſſor,ſed puritatis animæ. Seculum Chriſtus(inquam) non dixit eſſe nobis impedimẽto ad regnũ, ſed ſolicitudinẽ ſeculi:nec diuitias obſtare,ſed diuitiarum fraudem.Matth.13. Marc.4. Luc.8. Laudabiliter enim diuitijs vti poſſumus:tantùm ſimus in deum diuites,eleemoſynam demus, & omnia munda nobis erunt.Lu.11.&.12.Hæc eſt illa paupertas euangelica poſſidens omnia,quum nihil habeat: cuius opes immenſæ ſunt,& inæſtimabiles,quum tamen ſit inops, ſed vltrò,ac ſponte ſua.Diſcamus igitur hac paupertate gaudere,mãſuetudinem colere,ſeruare parſimoniam.In ſumma, Chriſtum gratis amemus, diſcamus adhærere Chriſto propter ipſũ Chriſtum,non harum corruptibilium rerum premio:ne cum Iudęis exprobationem turpẽ quidẽ illam & infamẽ,turpes nos, & infames audiam^9, Quæritis me nõ quia ſigna videtis,ſed qa de panib^9 cõediſtis,& ſaturati eſtis.Io.6 .Nõ eſt,quo poſſimus aliter impiorũ,ſciſmaticorũ,hæreticorũ,prophanorũ,quorundã detractionibus & cõuicijs obſiſtere: quæ nos mala nũc miſericordia potius admonentis dei, quàm punientis ſeueritate patimur. Fortè rogas hìc, eccleſiaſticarum poſſeſſionum proprietas cui^9 eſt? Chriſti dei eſt nominatim,cui ſunt à fidelibus oblatæ poſſeſſiones illæ.Propterea vocantur in patrum canonibus, Pecuniæ Chriſti,& patrimonium Chriſti.quod in Exegeſi dixi.Domini quidem eſt terra,& plenitudo eius: ſed illa ſpecialiùs dona dei dicuntur,quoniam à deo fidelibus,& à fidelibus deo donantur.can.Res eccleſiæ.1.q.3. Toto Leuitici libro,quæcunque ſunt oblata deo,iã dicuntur ſacrificata & conſecrata,prophanis

Vſus diuitiarum in eccleſia.

Euangelica paupertas.

De dominio rerũ eccleſiaſticarum.

K iiij interdicta

interdicta:veluti & panes ſancti,quibus veſci nefas erat laicis.1. Reg.22.Et vaſa tẽpli,quorũ prophanatio Medis & Perſis regnũ dedit Aſſyriorũ.Dan.5.ca.Huiuſmodi verò bonorũ ꝓcuratores dũtaxat,& adminiſtratores,nõ dominos,clericos deus cõſtituit. cap.2.de donati.quorũ nemo dicere poteſt de rebus eccleſiaſticis,Hęc mea eſt.12.q.1.§.vlt.Nullius enim proprię ſunt,ſed omniũ cõmunes eccleſiæ facultates.eadẽ. q.can. expedit.cap.3.de præb. Eccleſia igitur(quæ dei dicitur hæreditas.Pſal.78) eccleſiaſticorum bonorum ſola domina eſt:ſicuti & hęreditas habetur pro domino rerum omnium hæreditariarum.l.hęreditas. ff.de acq.rerum do.atque ita ex conſequenti,domini ſunt clerici,non ſinguli,ſed vniuerſi,prout de rebus ciuitatum dicitur in §.vniuerſitatis.inſtit.de rerum diuiſ. Nempe nunc eccleſiã intelligo presbyterorum,clericorum,& epiſcoporũ congregationem,cœtumq; omnium, qui ſacra tractant,& in templo miniſtrant altari ſeruientes. De qua ſignificatione in cap. Relatum 2.de teſta.in Exegeſi quoque dixi.Quod ſi ſpeciales aliqui domini nominandi ſint,pauperes tãtùm domini ſunt.Nam quicquid habent clerici,pauperum eſt,vt inde ſuſtententur & alãtur. AErarios habeo(inquit Ambro.)ærarij autem mei ſunt Chriſti pauperes.Hoſpitales igitur eſſe oportet eccleſiaſticorum domos,omnibus patentes. 16.q.1.can.fi. quos meminiſſe velim,ſe eſſe rerum tantùm curatores,& hominum tutores ad ciuitatem noſtram Chriſtianam pertinentium.Aguntilli quidem & conueniũtur: de dubijs cognoſcunt & iudicãt:ſed ſui temporis ſinguli periculum præſtabunt: ratioq; adminiſtrationis ſecundum fidem datorum & acceptorum ponenda ſemel eſt:in qua non dolum ſolummodò,ſed latam negligentiam, hoc amplius etiã, diligentiam debent.quod & ſuprà monui. Semel audituri ſunt illam domini formidandam vocẽ,Redde rationem diſpenſationis tuæ. Lucę.16.Hierony.ad Paulinum. Iã non ſunt tua, quæ poſſides,ſed diſpenſatio tibi credita eſt : tu cõſydera, ne Chriſti ſubſtantiam impudenter effundas:id eſt,ne immoderato iudicio rem pauperum tribuas non pauperibus.Non putetis hoc (vt loquuntur)è concione,ſiue plauſtro cantatũ.Nulla nos excuſatio,nulla tergiuerſatio defendet.Chriſtus arte vel mora nõ illuditur. Nequaquàm mea eſt, ſed apoſtoli ſententia, quam in Exegeſi retuli: Nolite errare(fratres)deus non irridetur:& repetunda-

Eccleſia.

petundarū poſtulabūtur reges,qui munus ſibi mandatum rumpunt exactionibus:& interuerſæ pecuniç dominicæ ſacerdotes rei peragentur,inſidi ſerui. Tam multarum verò poſſeſſionum iudicia penes ſacerdotes eſſe, imò & aliarum rerum omnium (tametſi frequenter abſtineant)ex parte ſuprà docui: nunc iterum tractabo ſpecialius. Probauimus eccleſiam deo militantem ſe noluiſſe temerè negocijs ſecularibus implicare,temporalemque iuriſdictionem,temporalibus principibus ſponte reliquiſſe, tamq; libenter & animo tam prompto & facili, vt regum propria videatur.Idcirco ſcriptū à Speculatore, quòd quicquid eſt in regno,id eſſe intelligitur de iuriſdictione regis, Initio ſtatim particulç,qua tractat de iuriſd.om.iud.Propterea,nōnullis perſuaſum,contrarias eſſe iuriſdictionem ſpiritualem,& iuriſdictionem temporalem,nec in vno manere poſſe.Diuerſas ponim⁹ & diſtinctas alteram ab altera (vt ſunt imperium merum, & imperium miſtum) contrarias negamus, quæ mutua ſe iuuent ope,quum res exigit: atqui ſemper inuicem contraria pugnant, album & nigrum,calidum & frigidum, neq; alterum vocatur in alterius auxilium:veluti ſibi viciſſim opitulantur eiuſdē corporis Chriſti duo brachia,ſpirituale & ſeculare.Abſit à ciuitate noſtra factio tam pernicioſa. Vtrunq; gladium ſi tenet eccleſia, vtramque pariter habet iuriſdictionem. Qui voluit eccleſiam ſuam Chriſtus habere prædia,villas,agros, & alia bona, voluit eſſe ſimul huic in illa omnia poteſtatem & autoritatē. Quare ab Vrbano primo ſcriptum,quòd ſunt huiuſcemodi res omnes in epiſcoporum & eccleſiaſticorum virorum ditione.can.vidētes.12.q.1.quas non ſolùm diſpenſant,ſed etiam de quibus autoritate ſua pronunciant & iudicant, ſi qua fortè controuerſia, liſve de illis exiſtat. Hoc eccleſiam poſſe ſatis indicant omnes ferè tituli Decretalium epiſtolarū Gregorij,Bonifacij,Clemētis,atque aliorum pontificum: in quibus & realium & perſonalium actionum,vndecunque naſcantur,iudicia tractantur. Rident eccleſiæ maſtiges, in cauſam pontificum me citare teſtes ipſos pontifices,imò iudices facere: quaſi verò non & illi ſolis principum legibus probent omnia poſſe principes:& ſi quid aliud in eccleſiam dei proferunt ad hanc ſuam ſeditionem tuendam,nōn aliunde quàm ab ipſa ſumunt eccleſia. Sed agè, recitetur illius teſtimonium,per quem reges regnant,& principes imperant,

De iuriſdictione eccleſiaſtica.

Iuriſdictio temporalis & iuriſdictio ſpiritualis non ſunt contrariæ.

imperant: Iubet hic, vt in ambiguis & difficilib⁹ rerum iudicijs, non ſolùm inter lepram & non lepram, ſed etiam inter ſanguinem & ſanguinem, inter cauſam & cauſam ſacerdotes ſint iudices: voluitque vt fieret quodcunq; dixiſſent, qui præerāt loco quem elegiſſet ipſe. Deute. 17. cap. Hinc Heli, Samuel, & alij fuerunt ſacrati domino ſacerdotes, & populi duces atq; iudices. Quin Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius. Pſal. 98. Nec deo viſum eſt placuiſſe, quod ſacerdotibus ſuis contemptis itum ſit ad alios, Non te (ait ille) abiecerunt, ſed me. 1. Reg cap. 8. Quid illud Malachiæ, 2? Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legē requirent ex ore eius. Quod & diuus Hieronymus Ruſtico cuidam Narbonenſi reſcribit, inquiens: Presbyteri ab initio iudices negociorum eſſe mandati ſunt. can. Ecce. 95. diſt. A quibus nos excuſare non poſſumus, etſi velimus, ait Auguſt. de huiuſmodi ſecularibus iudicijs loquens. Vnde & veterum etiam patrum conſuetudine in eius primordio ſemper idem potuiſſe volunt eccleſiam. Certè quondam ex concilij decreto, ſiue preſbyter contra laicum, ſiue laicus cōtra preſbyterum querimoniā aliquā haberet, hæc epiſcopo præcipiente finiebatur. 2. q 5. can. Si quis preſbyter. Addam de noſtris quod inſtinctu naturę factum videri poteſt. Fuit quum Gallia iudices alios non haberet quàm ſuos Druydes: qui ſimul & rebus diuinis pręerāt, ſacrificia publica, ac priuata procurantes: & ferè de omnibus controuerſijs publicis priuatisq; conſtituebant, de finibus, de hæreditate decernētes, & etiam ſi cędes facta eſſet, vel quod admiſſum facinus. autor eſt Cæſar in. 6. cōmentariorū belli Gallici. More ergo maiorum, iureque poſſe videntur actiones omnes intendi apud eccleſiam. Nec ipſi principes prophani hoc denegarunt eccleſiaſticis. Quandoquidem Tribonianus (homo religionis incertæ, ne putet aliquis eccleſiæ Chriſtianæ fauiſſe Chriſtianum) libro primo Codicis Iuſtinianei ex multis imperatorum conſtitutionibus poſuit epiſcoporum iuriſdictionem ſub titulo, De Epiſcopali audientia. Pudendum, ſi nō præſtamus Chriſtiani, quod vel ob gloriam, vel pecuniā, vel impulſu naturæ præſtiterunt infideles. Apparet igitur, ſiue quis intendat, alium ſibi dare aut facere oportere aliquid ob maleficiū admiſſū, fortè, dānū datū, rapinā, furtū, iniuriam: vel ob cōtractū, vel ob alias diuerſas cauſarum figuras: ſiue alij controuerſiam moueat de re

Sacerdotes negociorum iudices.

Druydes Gallid.

aliqua, quam ſuam eſſe affirmat: non eſſe hoc ab epiſcopali cognitione remotum: vtpote, quæ miſti ſunt imperij. Ecquid ſit hoc vocabuli ſuprà declarauimus. Cauillatur impia & ſacrilega Martinaſtorum dicacitas religionis obtentu ab eccleſia occupata territoria ciuitatum, exhauſtas opes regnorum, reges ipſos & pios alios in monaſteria, tẽpla, cœnobia, fruſtrà, neglectis & præteritis ſanguine ſibi iunctis, impẽdiſſe ac profudiſſe ſua. Excitant etiam ab inferis populos, & liberos querẽtes: nec magno decoro quiritari faciunt exercitum Romanum in eccleſiam dei: atque alia auſu dementiæ prolata detonant. Quin & Ariſtotelem (ſi dijs placet) in nos ſyllogiſmis debacchantem parum ſobrij fingunt. Liceant iſthæc, necne, in Rhetorum ſcholis (vbi laudatur & febris, defenditur Tyrannis) viderint alij: certè ſunt hominum argumenta, quibus vtilitas virtute potior eſt: qui iuſtum non alia re quàm licentia metiuntur: & honeſtum ſanctumque commodo ſuo definiunt: quorum mens eſt in querelis: qui rapere properant, quà ſacrũ, quà publicũ. Non tulit Iſcariotes effuſum in caput Ieſu diſcũbentis vnguentũ: vendi ſatius erat (ait) & precium dari pauperibus: non quòd pauperes illi curæ eſſent, ſed quia fur erat. Io. 12. Simili & oratione & mente cũ Iuda ratiocinantur, vbi templa vident ornari, vel ſacerdotibus aliquid donari, litium pleni, rapaces, & fraudulenti homines, qui neque leges, neq; æquum, neque bonum vſquàm colunt. Sed hoſpes ille Plautinus in milite longè religioſius, dũ ait: Quod in diuinis rebus ſumas ſumptus, ſapienti lucro eſt. Omnis (ait Iuſtinianus) donatarũ eccleſijs rerum immenſitas optima menſura eſt. auth. de non alien. &c. §. Sinimus. Sempér ne de fundis, & villis, & rebus iſtis infimis, ſummi dei ſacerdotib⁹ inuidia mouebitur? Rectè Ambroſius ad ſororem, Veteri iure legimus (ait) à ſacerdotibus donata imperia, non vſurpata: & vulgò dici, quòd imperatores ſacerdotium magis optauerint, quàm ſacerdotes imperium. Reſponde ſine calumnia, logodædale, qui reges inuides eccleſiæ, & ex cordatis excordes facis: Princeps cauſari quid poteſt eccleſiæ donata rapiens? aut ne iam datis meliora donet? cui plurima permiſit habere deus, & multorum eſſe dominum, qui facilè dare poſſit, ait idem Iuſtinianus imperator. Sciuit iſthęc inter Arianos Thracis armentarij nepos, quæ (tu ſacrilege & impure nebulo) reges regijs & Chriſtianis in cunis ortos & al-

Epiſtolarũ libro. 5. Epiſt. 33.

tos neſcire vis? Appello te rurſus quiſquis es, qui peſſimũ hunc errorem inſeris in animos principum. Reges quid habent, quod non acceperint? Dauid orans clamat, quum nihil in templi cõſtructionem non obtuliſſet, Tua ſunt omnia (domine) & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. primi Paral. libri ca. vlt. Conquerentibus iſtis hirudinibus regijs & muribus Palatinis apud Philippum Auguſtum imminui regia iura, dum ſacerdotum iura in dies auctiora maioraque facit, pius princeps reſpondit: A deo tot eſſe, tamque magna ſibi Franciæq; ſuæ conceſſa beneficia, vt neque templis, neq; ſacerdotibus earum rerũ quicquam denegare poſſit, quas non humana, ſed ope ſola diuina florentes & integras haberet. Neque verius, neque ſanctius aliquid reſponderi potuit: nequit enim fœlicitas eſſe, vbi non & pietas. Principes hic intueantur quod imitentur, exẽplũ: non quod impiorũ ſequãtur cõſiliũ. Quod ſi qui regũ non probẽt, deſinãt & aduerſus eccleſiã præbere aures: nec philologorũ neſcio quorũ calumniantiũ maledicta admittãt: qui peſſimi quũ ſint, nihil aſſiduè quàm bonas & bonas literas crepant: Audaces, ſibi placentes, ſectas introducentes homines, atque alia verè de his à Petro prædicta cap. 2. epiſtolę ſuæ ſecundæ. Quoties res aliqua redit ad ius quod lex prima tribuit ei, nemo iuſtè queritur deteriorẽ ſuã conditionẽ fieri: nõ perit enim quod ſuę naturę, priſtinęq; formæ redditur. l. Si vnus. in fi. §. pactus, ff. de pact. Eccleſiã verò rerum omniũ dominã directã nemo negat eſſe, niſi qui negat & matrẽ: igitur eccleſiæ dare non eſt aliud quàm reddere: tumque res ad veterem dominum reuertitur. Propterea veriſſimè dixerunt ex noſtris plurimi, Conſtantinum donaſſe nihil eccleſiæ, ſed reſtituiſſe ac reddidiſſe. Nam ſi domini eſt orbis terrarum ac plenitudo eius, certè eſt eccleſiæ vnicæ domini filiæ, ergo & paternorum bonorum dominæ. l. in ſuis. ff. de lib. & poſthu. quæ & ipſa regis eſt vxor, & ſponſa: Princeps autem ſolet eadem Auguſtæ priuilegia tribuere, quæ & ipſe habet. l. princeps. de legib. Eo tamen pacto ſemper, vt cum illo meminerimus regnum noſtrum non eſſe de hoc mundo, hoc eſt, affluentibus diuitijs non eſſe cor apponendum: Cogitemus crucem eius, & diuitias lutũ putabimus: Chriſtus fugit, ne talis rex fieret. Io. 6. tãtùm abeſt, vt propter has inter nos amplius inteſtinis odijs, & pluſquàm capitalibus iurgijs decertari velit: quare non

Auguſti regis Galli religioſũ verbum.

Redditur, nõ donatur eccleſiæ quicquàm.

re non magis iniuriam accipitis?quare non magis fraudem patimini? inquit Apoſtolus.1.ad Corint.6. Hæc eſt ditiſſima paupertas,qua volo ciuitatem noſtrã abundare. Obijciunt inde pollutam ſanctimoniam & innocentiam ſacerdotum,& hac vna via luxum irrepſiſſe, accreſcentibusq́; terrenis opibus,veras illas cœli opes eſſe diminutas.Hęc vtinam verè negare poſſem, tametſi deo magis quàm hominib⁹ nota ſint.Fallaces ſũt abundãtes diuitiæ,quæ frequenter aliud de ſe promittunt,& aliud agunt. Semen ab agricola diſperſum ceciderat in terram, bonã quidem illam,ſed ſpinoſam,propterea creſcentibus vnà ſpinis ſuffocatum ſine fructu manſit.Semen eſt verbum dei,& miniſterium nobis demandatum: ſpinæ ſunt diuitiæ vepribus omnibus aculeatiores, quarum deceptio ſuffocat in nobis ea quæ ſcimus & audiuimus, & extinguit officium noſtrum: ideo nullum fructum reddimus,non ipſarum ſpinarum culpa, ſed noſtra,qui non euellimus,qui creſcere ſentes permittimus,quarum germina debuimus incidiſſe contemptus & eleemoſynarum ſarculo.Malos eſſe nimium multos,auaros,libidinoſos, ſcortorum alumnos,etiam atque etiam pudet epiſcopos & presbyteros:qui rebus,& pecunijs Chriſti laſciuiant,illo fameſcente.Cęterum,quòd bonis malè vtamur,hęc ideò mala ne dixeris.Nam quid eſt in vſu hominum bono & licito,vnde non poſſit homini pernicies irrogari?Nec eſculenta nobis erunt domi, nec poculenta:quòd helluones intemperanter ſe plerique cibis ingurgitẽt,& præfocẽt etiã ſpiritũ.Vſũ rei qui neſcit,aut abſtineat,aut illa mulctetur.can.Epiſcopus.12.q.2.can.Si epiſcopus in fi.3.q.2. Debet enim cõceſſa ꝑdere,q cõceſſis abutitur.Iniquũ verò nõnullorum culpa damnari omnes.Et fuerunt,& ſunt,& erunt in eccleſia Chriſti,bonis benè ſemper vtentes: his (vt decet) imò Chriſto veriùs,aliorum condonentur errata. Iure Gregorius, Delictum perſonæ(ait)non eſt in damnum eccleſiæ cõuertendum: in qua ſine illius euãgelicæ perfectionis impedimẽto, ad vſũ licitè poſſideri temporalia poſſint.Poſſideant igitur clerici, ſed neſciant quid poſſideant: ſint diuites pauperes:Non ſuperbè ſapiant: non ſperent in incerto diuitiarum,ſed in deo viuo, qui præſtat omnia nobis abundanter ad fruendum.1.ad Timotheum 6.Putent affluentiam diuitiarum, & poteſtatis inſignia habere in ſe materiam virtutum,ac bonorum operum, dicente

Non ſunt male,ſed ſunt fallaces diuitiæ.

eccleſiaſte, Vtilior eſt ſapientia cum diuitijs, & magis prodeſt videntibus ſolem.cap.7.Commentum fuit hoc vtrunq; Iuliani Apoſtatæ, qui factus imperator edixit procurationem prouinciarum, iuriſq; dicendi poteſtatem non eſſe Chriſtianis cõmittendam; inſuper hos bonis, & facultatibus proprijs cedere cogebat,ſuis ita iuſſiſſe Nazaręum cauillans impius ſycophanta.Vtinam Chriſtus, quos ad altaris ſui miniſterium vocauit, omnes immenſa ſua miſericordia nos eò perfectionis euehere dignetur,vt non animo duntaxat & affectu, ſed etiã factis ipſis & opere terrenis iſtis renunciemus,abnegantes noſmetipſos cũ ſecularibus deſiderijs,& nudi nudum ducem crucifixum ſequẽtes.Cæterùm,quàm bene mihi mereri videntur opinatores illi veteres ritus peroſi de preſbyteris & ſacerdotibus,quos omnes inſtituunt ad apoſtolicã viuendi normã (ſi modò non inuidia, rerumque nouandarũ cupiditate trahantur,quòd vt multi boni viri credant,adduci nequeunt)tã mihi videntur in principes & reges iniurij maleq; affecti,quos non ad Philippos, Cõſtãtinos, Theodoſios,Carolos Magnos,Ludouicos Pios,Valeſios,& qui tali pietate vixere principes innumeri nõ min⁹ religione, quàm regno clari,componunt; ſed ad Tiberios,Nerones,Iulianos,& ſi qui peiùs animati fuerunt erga Chriſtum, Chriſtique fideles. Illos ouibus Chriſti penè videntur eximere ſeditioſi homines, circumq; caulas ponere tanquàm frementes lupos : qui ſe tantiſper eccleſiæ filios dici ſuſtineant,dum mater omnibus obſecundet eorum affectibus, quo volunt modo, & quo tempore. Mirum,nec minùs dolendum,quòd bene nati principes inueniant horum perditorum morum doctores, ad vnguem certè factos homines,imò veriùs ad vngues. Elatas autẽ ceruices humili Chriſti iugo ſubmittere,omnibus ad ſalutem ſeculariũ rerum contemptum neceſſarium eſſe(vt ſint qui credant docentibus)qui doceant,quiue ſciant ex tragicis iſtis ſimijs nemo eſt. Certè commerentur hoc corrupti ſacerdotum mores,dũ(quaſi maiora ſint regũ ſcita,quàm Chriſti)leges timemus,Euangelia contẽnimus, & concilia. O caſſa & inania ſacerdotũ nomina? Quàm plena poſſint,& eſſe debeant horrea domini, quamque pinguis & abundans cibus in eius domo, iuxta Malachiæ prophetiam, non litigioſis opinionibus, ſed veterum patrum,ſanctorumq; & diuinis atteſtationibus.(Si tamẽ vſquàm de ſe ſcripturæ

Iulianus apoſtata.

Malach.3.

pturæ

pturæ credere liceat) comprobare volui.
Quod ſequitur, & regibus & pontificibus etiam viciſſim competit ex vtriuſque poteſtatis officio.

Pontifex in principem, principiſq; ditionem: princeps in pontificem ſæpê & poteſt, & multa iure ſtatuit.

DE MVTVIS IMPERIIS.

Continet hæc noſtra concluſio diuinam illam Ariſtocratiam, quam tantopere in eccleſia, hoc eſt, in ciuitate Chriſtiana deſyderamus: ſcilicet, vt boni tantùm, & virtute præditi regant, legibúſque regantur. Neque enim præfectos alios habet, non habet alios magiſtratus quàm leges hæc noſtra ciuitas. Legem verò aliam nõ appellamus, ꝗ̃ quæ naturâ nitatur, ratione cõſtet, religioni cõueniat, diſciplinæ cõgruat, quę demũ ſaluti ꝓ ſit. can. 4. diſt. 1. Nõ nobis eſt amplius de hac lege, ſed ſecundã hanc iudicãdum: quandoquidẽ non ſeruit hæc moribus, ſed illi mores. Non ſunt enim leges noſtrę (quod de alijs Græcus quidam ſapiens dixit) ſimiles aranearum caſſibus, quos maiores aues facilè perrumpunt, irretitis muſcis: Ita magnum iudicant, vt paruũ. Deut. 1. quod hoc in cap. verbũ dei citat Inno. Varias, ac inter ſe differentes adminiſtrandarum ciuitatum, rerumque publicarum rationes legimus in Platonis, Ariſtotelis, & aliorum Philoſophorum libris: ſed hanc noſtram Chriſtianã nullus hominum ſtatuit vnquàm, ſolus deus veritate fundatam, religione teſtatã fecit, & nouis ac ſuis tantùm legibus præceptiſq; conſtituit: qualem priùs Iſraëliticæ gentis principatũ inſtituerat, vbi Moſis os, prophetaque Moſis erat Aaron: cui viciſſim Moſes erat dux in his etiam quæ pertinent ad deum. Dominus autem fratris vtriuſque loquebatur ore. Exod. 4. & 7. Talis & hîc noſter eſt in populo Chriſtiano pontificis, principiſque duumuiratus. De quo & illud eccleſiaſtici. 4. cap. ſcriptum interpretor, Preſbytero humilia animam tuam: & magnato humilia caput tuum. Quod Geneſeos capite. 1. legitur, De duobus luminaribus, quæ fecit deus in firmamento cœli, Solẽ in poteſtatẽ diei, Lunam in poteſtatem noctis (vtrunq; magnum quidẽ, ſed priùs poſteriore maius) transferunt ad Pontifices, & reges: illoſque maiori, hos minori conferunt. Inter quæ ſi diſſidij quippiã in-

Ariſtocratiæ Chriſtianæ ratio.

Lex Ariſtocratica.

terceſſerit,in magna tum ſub firmamento cœli,id eſt,vniuerſalis eccleſiæ viuimus omnes eclipſi: quum ab his vniuerſus hic mundus gubernetur, pari quidē ſtudio, ac iuuandi conſilio (vt omnibus luceāt)ſed diſpari autoritate,ac ratione.Rex humanę legis conditor eſt:Pontifex interpres & exactor diuinæ. Ille ꝓphana tractat : hic ſacrorum eſt adminiſtrator. Ille corporum, hic animarum pacem quærit,& tranquillitatem. Cyprianus apud Gratianum factum hoc non ab homine, ſed à deo diſcrimen prodidit,& copioſè probat,Chriſtus Ieſus(inquiens)actibus proprijs,& dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit.can.Quoniam. & can. Imperium x.diſt. Sic tamen hæ duæ poteſtates inuicem diſcretæ, ac diuiſæ ſunt, vt ab altera pendeat altera,mutuam ſuam poſcentes opē, & arctiſſimo inter ſe connexæ vinculo, vt non poſſit oculus dicere manui,Opera tua non indigeo.1.ad Corinth.12.quum non ſit aliud ciuitas noſtra, quàm concors in Chriſto, & per Chriſtum hominum multitudo.Hoc illud eſt, quod aſſerui,Pontificis in regis ditionem,& viciſſim regis in ditionem Pontificis ius eſſe frequenter & imperium. Rem hanc diffuſiſſimam breuibus

Poteſtas pōtificis in regem.

duabus regulis concludam : quibus ſua ſubdentur exempla. Prior eſt: Semper in fidei & peccati materia ius eccleſiaſticum attendendū eſt,etiā in foro ciuili: tumq; ceſſat omne iuris imperatorij mandatum,& aboletur. Hoc in negotio leges imperatorum canonicis decretis pręiudicium nullum afferre poſſūt: can.lege.x.diſt.cap.vlt.de præſcr.Cauſam fidei(inquit Ambroſius)agendam in eccleſia tantùm quis abnuat? can.Conuenior. xxiij.q.viij.Qui peccata perpetrant,ad emendationē(ſi voluntariè venire noluerint)ſacerdotali autoritate cōpellēdi ſunt.can. Illi qui.6.q.1.Et animas delinquentium emendari oportere per eccleſiaſticā multā ſecundum ſacras & diuinas ſcripturas aſſētitur ipſe imperator.auth. vt cler. apud propr.Epiſc.&c.§.pen.

Pontificiæ poteſtatis in principes exempla.

Pipinus.

Qua de re & ab eodem promulgatum eſt,quòd leges non dedignantur ſequi ſacros canones. Hoc iure nixus papa Zacharias, anno Chriſti nati ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio, Chilpericum longa maiorum ſerie legitimum Galliæ regem & poſſeſſorem regno auito deſtituit, & in eius locum Pipinū extraneum,& alienigenam ſubſtituit,cauſatus peccatum eſſe,hominem tantæ imparem poteſtati,inertem,& nihil agentē Rei-

publicæ

publicæ gubernacula moderari. autor Gelaſius: can. Alius. 15. q. 6. quod annalibus etiam noſtris proditum eſt. Leo tertius, Pontifex Romanus hac eadem fultus autoritate, ſeptem & quadraginta póſt annis Carolum pariter Gallorum regem, Romę creauit imperatorem, imperium Latinis iam deſuetum Gallorũ virtute Romam referens ex Græcia, tantùm quia multos iam annos Longobardis eccleſiam, totámque Italiam diripientibus imperatores Græci non reſiſterent. Quod ratum omnes habuere, atque habent factum. Nemo eſt qui neſciat hiſtoriam. De qua in cap. Venerabilem. de elect. In antiq. & in Cle. de iureiũ. Vbi non ſatis in hiſtoria Cuſano cardinali verum vidiſſe videatur Innocentius tertius, & Clemens. v. qui tranſlatum tunc imperium putarunt à Græcis ad Alemanos. Vt ſit imperator Gothus, Apher, Thrax, vel Syrus, Romę tamen eſt imperij Romani ſedes: quam qui non defendit, qui vaſtat & diripit, hic nihil minus eſt, quocunque ſalutetur nomine, quàm Romanus imperator. Non laboro cuias fuerit Carolus: ſcio (ſi non mentiatur hiſtoriæ noſtræ) quòd rebelles Longobardos, Hiſpanos, Anglos, Saxones, Sueuos, Theutones alios exercitu Gallico debellauit. Quid enim Pipinus Breuis, & Carolus Magnus erant ſine Gallis? Poſt Carolũ Gallia centũ annis imperiũ Romanũ tenuit, quo toto tẽpore (ne de noſtris teſtimonia ſumã) Sabellicus ait eccleſiæ Romanæ neq; melius, neque fœlicius vnquàm fuiſſe. Per hæc inſtituta Bruno quidam Saxo, cui poſteà Gregorius quintus nomen fuit, Ottonis tertij factione Pontifex maximus creatus, & in ſedem poſteà reſtitutus, ob frequentes & periculoſas Romanorum, principumq; diſſenſiones, dum Cæſar nouus eſſet aſſumendus, anno ſalutis ſecundo ac milleſimo ſanctionem ſacrauit de imperatore eligendo per ſolos ſeptemuiros principes Alemanos, eundémq; ſui tantum generis. Hanc poſteà qui ſequuti ſunt imperatores Alemani firmandam curarauerunt à Pontificibus alijs Romanis aurea neſcio qua bulla, cuius in cõcilio Viennenſi Clemens. v. meminit, De iureiuran. quam pariter ad vſque tempora noſtra ſeruatam publico conſenſu videmus: tacita omnium confeſſione, vel eorum qui Petri cathedram deferunt, hoc ſaltem prærogatiuæ Romanã potuiſſe eccleſiam vni genti concedere: alioqui, Romæ quî dare poſſent imperatorem legitimum? Nicolaus primus de comi-

Carolus Magnus.

De cõcord. catholica lib. 3.

Electio imperatoris Alemanos. Ro. penes.

tatu quodam exiſtente in regno Ludouici (erat hic Italiæ rex, imperatoris Lotharij filius) pronunciauit, illum Lamberto Athonis comitis filio adiudicans, inhibensq; dicti Lamberti fratribus, ne contenderent eum paterna, aut materna hæreditate priuare. can. Præſens. 20. q. 3. Innocentius tertius hic inter duos reges de Normania, & Aquitania belligerantes cognoſcit. Præterij-quę propter exulantem Chryſoſtomum fecit Innocentius in Arcadium: quæ diuus Ambroſius in Theodoſium: Nicolaus in Lotharium, propter Gualdradā pellicem, & alij in alios potentes & ſuperbos orbis monarchas. Neque enim deſunt alia tantæ poteſtatis exempla: per quæ puto palàm eſſe, Pontificem iure de regnis & imperijs pronunciare, ex eiusq; pendere omnia iudicio. can. duo ſunt. 96. diſt: vt quemuis Chriſtianum corripiat ille, caſtiget, graduq; deponat exigentibus delictis. Peccat enim licentiùs vagum, & male liberum vulgus, quum non eſt qui arguat, tum frequēter plus nobis permittimus quàm liceat. Eccleſia igitur ſicuti eſt omnium mater, ita eſt iudex omnium competens. Nec mirum, ſi de bonis, & corporibus noſtris iudicent hi, à quibus animarum noſtrarum iudicia petimus. Sic argumentari viſus eſt Paulus. 1. ad Corinth. 6. An neſcitis quòd Angelos iudicabimus? quanto magis ſecularia? Certè aut vehementer fallor, aut qui paſcere debet, imperare quoque poteſt in paſcuis quid ſequendum, quídve fugiendum. Melius hoc, atque etiam longè vtilius reipublicæ Chriſtianæ, quàm effreni licentia viuere populos quoſdam, & principes acephalos, ad illam muliebrem & meretriciam impotētiam, Vt liceat quod lubeat. Perdidit hæc imperium Romanum. Et cæterà perdet. Eccleſiæ dei nihil eſt nocentius Democratia: populus enim docendus eſt, & ducendus, non ſequendus. 62. diſt. can. 2. Nec minùs illa, peſtifera eſt Oligarchia, dum pauci occupant ea quæ ſunt ad bonum commune præfixa. can. Quæ ad perpetuam. 25. q. 1. In cœlis triumphat monarcha noſter Chriſtus, quem deus conſtituit in caput gentium. Pſal. 17. qui paſtorum princeps eſt, ait Petrus: & eccleſiæ caput, ait Paulus: ſed in terris vnius monarchiā, (qui nec deus, nec homo ſit: qui poſſit vnus omnia: cui, cur hoc facis, audeat dicere nemo: ſic enim de papa loquūtur gloſſę quædā noſtræ) fortè alius grauius aliquid diceret, ego (inquā) talem monarchiam non intelligo diſtare à Deſpotea: quā tantopere

Δημοκρατία.

Ὀλιγαρχία

Μοναρχία

Δεσποτεία

topere vetuit Petrus in eccleſia: Paſcite, quantum in vobis eſt, (ait) gregem Chriſti, non dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo. 1. Petri. 5. Scitis (ait Chriſtus) quod principes gentium dominentur illis, & qui magni ſunt, poteſtatem exerceant in eas. Nō ita erit inter vos. Etenim, Vę paſtoribus qui cū auſteritate imperant gregi, & cum potentia. Ezech. 34. Epiſcopi ſacerdotes ſe eſſe nouerint, non dominos, ait Hierony. can. Eſto. 95. diſt. Negare nolo, quin nos terreni caput vnū in terris habeamus, qui viam doceat in cœlum. Profectò vnum aliquem inter Apoſtolos ſuos primum fuiſſe Chriſtus expreſſiſſe videtur Matth. 20. nempe dicens: Qui voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter ſeruus: primum vnū extitiſſe oſtendit (qualem Petrum ſæpè deſignauit) ſed impotentem dominandi cupiditatem, & affectionem præeminentiæ: hoc eſt, monarchiam ſuprà deſcriptam vbique adimit, & voluit vt quicquid habent illi primores, in cōmunem vſum conferant. Iniquū etenim eſt ſeruitutē profeſſo dominari velle. Chriſto igitur placuit Ariſtocratia, quæ ciuilem ſocietatem tuetur, hoc eſt illam mutuam & fraternam dilectionem, ſingulare & vnicum ciuium ſuorū ſymbolum, vti eſt Io. 13. In hoc cognoſcent omnes quòd diſcipuli mei ſitis, ſi charitatem habueritis inter vos mutuam. Charitas verò nihil agit perperàm, nihil ſibi pręſumit, nemini quicquam debet, reddit omnibus quod debetur: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Ro. 13. Presbyteris autem duplicādos honores, & ijs maximè qui laborant in verbo & doctrina, iubet Apoſtolus idem ad Timoth. cap. 5. Ergo maius & excellentius aliquid eſt in eis, qui duplici ſunt honore digni. Si diuina eſt hęc lex, Meminerimus quòd in leges diuinas impiè agere nemini vnquàm impunè ceſſit. 2. Machab. cap. 4. parendū igitur antiſtiti. Pontificē tuum quaſi animæ parentem ſuſpice, ait Hiero. Rufinus ad Epiſcopos in Nicena ſynodo Conſtantini Auguſti orationem refert huc apprimè ſpectantem. Vos (ait imperator) deus cōſtituit ſacerdotes, & poteſtatē vobis dedit de nobis quoque iudicandi: & ideò nos à vobis rectè iudicamur. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro. x. Simile ſuprà in textu retuli de Valētiniano. Vt non malè quod ad Hieremiam ſacerdotem dixit deus, Ecce ego conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ędifices, & plantes. Hiere. 1. de

ἀριστοκράτία.

Sacerdotis dignitas.

M ij pontifice

pontifice quoque dictum intelligant,quem deus nobis dedit, qui prudens architectus, & bonus agricola poſſit extruere, ac plantare ea quæ eccleſiaſticæ conueniunt veritati, deſtructis & diſſipatis contrarijs. cap.6.de maior.& obed. Et impleatur in nobis ſubditis illud quod dicit Apoſtolus, Dei ędificatio,dei agricultura eſtis. 1.ad Corinth.3.

Regula traditur altera de regia poteſtate in pontificē,ex can. Quando vult deus.23.q.4.Hoc pertinet ad reges ſeculi Chriſtianos,vt temporibus ſuis pacatam velint matrem ſuam eccleſiam habere , vnde ſpiritualiter nati ſunt . Hæc ratio eſt , cur principi quandoque liceat ſuper ijs definire, quæ concernunt eccleſiam: ne matris vlla in re violetur honeſtas,néve turbetur eius tranquillitas ab ijs potiſſimū,quibus eſt cōmendata. Optima ciuitatis ea forma creditur,in qua eſt qui poſſit imperantibus imperare.Mutuis enim tenetur imperijs. Scitum illud Senecæ,libro de ira.2. Nemo regere poteſt, niſi qui & regi.

Regia poteſtas in eccleſiam.

Imperator cōuocat generale concilium.

Doctorū multorū virorū vna opinio eſt,imperatorē cōuocare poſſe cōciliū generale,quotiescūq; & quacūq; ex cauſa,vbi papa & cardinales aliqua ſuſpitione notātur & ceſſant,imperitia,fortè,malitia,vel vtroq;,aut quū ſciſma eſt.Ex Decio conſ. 151.Celebrē in Ariū Synodū Conſtantinus imperator Nicęā cōgregauit,vbi & interfuit.autore Rufino.Et vniuerſales tres alias Gratianus,Theodoſius, & Martianus imperatores edicto ſuo coëgerūt. Hæc ſunt illa quatuor cōcilia,quæ fidē noſtrā,velut quatuor euāgelia,cōplectūtur.de quib⁹ tota diſt.16.Theodorici regis autoritas ex diuerſis prouincijs epiſcopos & ſacerdotes Romam conuenire præcepit,ad Symmachi primi purgationem.§. Hinc etiam.17.diſt.Carolus Magnus(vt eſt in hiſtorijs noſtris) quinque concilia pro ſtatu eccleſiaſtico celebranda iuſſit, Maguntium,Remenſe,Turonenſe,Cabilonēſe,Arelatenſe. Atqui, ſi quid aliud,hoc maximè eſt pontificium & eccleſiaſticū.Papa Romam vel aliò vocat epiſcopos:Rex ire vetat, aut in ſuū comitatum venire iubet: obtemperandum eſt regiæ præceptioni: non hîc tantùm,ſed & quacunq; alia in re extra peccatum.can. Si epiſcopus.18.diſt.can.Salonitanæ.63.diſt.can.Si vobis.23.q. 8.Quum rex prælatos ad concilium,& eccleſię ſtatum formādum conuocat, obedire tenentur: hoc ſentit Inno.cap. Quum parati.de appellat,Intereſſe tamen volo reges tantùm,non etiā

Regi magis obediendū quàm papæ

præeſſe

præeſſe talibus ſacerdotum conuentibus & electionibus. Imperatorem Martianum ſequantur, actione ſeptima Calcedonenſis concilij, dicentem patribus & presbyteris congregatis, Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam ſynodo intereſſe voluimus. can. Nos ad fidem. 96. diſt. Imperator bonꝰ (ait Ambroſius) intra eccleſiam, non ſupra eccleſiam eſt. Huc referantur à nobis omnia dicenda. Quemadmodum igitur reges ad officium pontifex inuitat & cogit: ita reperitur in canonibus, ad regem confugiendum eſſe, quoties pontifex res eccleſiæ collatas diſſipat ac defraudat. can. filijs. 16. q. 7. Si iam ſacerdotes non circa altaris officia dediti ſint: ſi contempto templo, neglectis ſacrificijs, properent in Regum palatia, feſtinent' in palæſtras, ſe gynœcijs immundi prophanent (quales. 2. Machab. cap. 4. deſcribũtur) & in ſuas ſuorumq; delectationes ſi conuertant id quod fideles obtulerunt Chriſto: cur non hoc reuocabunt ad ſolicitudinem ſuam principes, quos catholica fides in eccleſiæ ſinu genuit & docuit? Sed (vt cœpimus) exemplis regulam tractemus: quæ nobis non erunt à veteribus repetenda lõgiùs: quum legamus hodiernis regum noſtrorum conſtitutionibus inſerta eccleſiaſtica multa. Fiduciariæ beneficiorum poſſeſſiones (quod ſuprà monui) pro tribunali principis tractãtur. Quid cauſæ putatis? niſi quòd æquitate contempta, non ampliꝰ (vt iubetur) eccleſiaſticus iudex ſecundum formam canonũ & ſanctorum patrum inſtituta, ſed per ſubtiles quaſdam iuris formulas de beneficijs pronunciabat: vt meritò videatur illis interdicta cognitio, qui præ cæteris debebant omnes ſacras regulas cuſtodire, non per veteratorias pragmaticorum impoſturas, hominum controuerſijs victitare. Quotidiè (prò pudor?) ciuiles iudices videmus eccleſiaſticæ iuriſdictionis abuſus & corruptelas, ceu ſuo quodam iure, ex principis conſtitutione, corrigere, de excommunicatione etiam (qua, quid magis ſpiritale?) cognoſcentes. ô dedecus? de lege tamen non cõqueror, ſed doleo quòd meruerimus hanc legem, ſimileſque: contra quàm vetatur in. cap. Qualiter. de iudi. Regis autoritate cõpelluntur eccleſiarum præpoſiti, vt ędes ſacras aliqua refectione indigentes inſtaurent: & ſarta tecta templorum præſtent: quibus ceſſantibus aufert ipſe rex ſacerdotibus eccleſiaſticam pecuniam licitè, quã in vſus templi expendat, præpoſitis ad hoc opus curatoribus.

Exẽpla regiæ poteſtatis in eccleſiaſticos viros.

Ioadis,& Ioſię regum in ſacris ea cura fuit,de quibus quarti libri Reg.cap.12.&.22.Et Paralip.cap.23.& 34.Fuit & hoc per prouincias quondam proconſulum Romanorũ munus in ſuorum deorum fanis.l.Si in aliquam.ff.de offi.procon.Tertiã beneficialium reddituum partem rex Carolus ſextus his reparationibus omnium primus deputauit: non antiquam eccleſię traditionem ſequutus,quæ fidelium oblationes in quatuor portiones diuidebat.can.Conceſſo.& ſeq.tribus.12.q 2.ſed(opinor) magis imperatores Arcadium & Honorium,qui de ciuitatum redditibus tertiam partem publicis operibus reficiendis aſſignari voluerunt.In.l.Ne ſplendidiſſimæ.C.de oper.publ.Ante hunc alij reges pontificali ſolicitudini templorum fabricas,cultumq; diuinum reliquerant, ex cau. Decernimus. x.q.1. Nouo regis edicto cauſam dedit Innocentius papa ſeptimus, tũ ſedẽs Auenione.Hic effreni cardinalium numero comitatus, & pari luxu,inauditis exactionibus eccleſiam Gallicam premebat,omnium prouentuum eccleſiaſticorum partem ſibi mediã rapiẽs. Quod ægrè paſſa ſchola Pariſiẽſis,quum regi ſupplicuiſſet,anno Chriſti milleſimo trecenteſimo octogeſimo quinto,protinus exportari tum pecuniam regno vetitum, ac ſimul conſtitutum diuidendos in tres partes eccleſiarum fructus : cædit vna clericalibus vſibus : altera templorum inſtaurationibus : tertia diſſoluẽdis eccleſiarum debitis & obligationibus relicta fuit.Quo nos adhuc iure viuimus:& ex eo tempore rerum ſic iudicatarũ exempla multa ſunt. Patrum noſtrorum ætate,Ludouicus vndecimus rex conſtitutionem ſanxit,vt Archiepiſcopi,Epiſcopi, Abbates,& quicunq; dignitates in eccleſia gerebant,aliorúmve beneficiorum curam habebant,intra quinque menſes ad ſuas ſe conferrent eccleſias,nec amplius inde ſe mouerent,aſſiduè diuinis inibi rebus, ac ſacrificijs operaturi pro regni regiſque ſalute & incolumitate : pœna adiecta non obedientibus, amiſſio feudorum,fundorumq;,& bonorum tẽporalium. O legem rege Chriſtiano dignam? beneficiarijs tamen eccleſię pudendam ad officia compulſis. Vtinam ſint epiſcopi, & ſacerdotes, quod audiunt:aut negent ſe paſtores,aut exhibeant. Certè per legem non ſtetit. Verùm,Quid leges ſine moribus vanæ proficiunt? vt queritur Flaccus. Difficilimum eſt cuiquam verè ſacerdotem agere,qui libenter aliud eſt quàm ſacerdos. Nunc aliud eſſe,& aliud

Prouentuũ ſacerdotaliũ diuiſio ſub Carolo ſexto.

Ex Roberto Guaguino.

aliud videri volumus: nepe cultu,faſtu,verbis, & moribus milites,& plus quàm milites:quæſtu,ocio,redditibus clericos:re & actu neutrum præſtamus. Cur non hic tibi princeps male feriatum genus hoc hominum coget ad officium? per quos nomen infamatur ſacerdotij, miniſteriumque noſtrum vilipenditur. An vlli magis ſe immiſcent enormitatib⁹? propter quas impune & fuſtigatur, & patibulo affigitur,etiam non deſecratus, ſacerdos.cap.Perpendimus.de ſent.excom. Pereũt cum paſtoribus greges: cur,quæſo? quia ſicut populus,ſic & ſacerdos. Oſeæ. 4.Curarunt iſthæc igitur,& meritò, reges noſtri recentiores.Quòd ſi vetera placẽt, Nemini dubium eſt,quin in primitiua eccleſia de rebus & perſonis eccleſiaſticis principes ius dixerint.Arcadius,& Honorius,religioſi principes,epiſcopũ turbantem quietem publicam,epiſcopali & ſede & nomine detrudunt,ac iubent exulare.l.Quicunque.C.de Epiſc.& cler.Libri primi Codicis Iuſtinianei primi tredecim tituli ex diuerſorum imperatorum conſtitutionibus nequaquàm obſcurè tractant ea, & iudicant,quæ ad pontificalem curam pertinent.Quod maius pontificis munus,quàm fides?quàm baptiſmus? quàm ſumma trinitas? quàm monachorum conuerſatio? clericorum & epiſcoporum ordinatio?quamque ſimiles multæ leges haud dubiè religionem noſtram,& eccleſiam concernentes? Atqui,talium plenæ ſunt imperatoris Iuſtiniani nouellæ conſtitutiones. Et ne quis tyrannidem fortè,aut eccleſiæ oppreſſionem ſuſpicetur, hunc Iohannes Papa clementiſſimum filium, eccleſiaſticis diſciplinis eruditum, principum Chriſtianiſſimũ ſalutat, Epiſtola,Inter claras.De ſumma Trin.C.Et ſe ipſe vltimũ dei, & eccleſiæ ſeruum nominat.l.1.de off.præf.præto.Aphr. Childebertus Francorum Rex (quo fuit in Græcia tempore Mauritius imperator) à Pelagio papa ſecundo religionis & fidei cõfeſſionem exegit : quam citò, nec inuitus pontifex præſtitit ad auferendum omne ſuſpitionis ſcandalum.can.Satagendum.25. q.1.Anni aliquot ſunt,quòd agens in Calabria cum militiæ noſtræ magiſtro,caſu reperi libri cuiuſdam fragmentũ literis Lõgobardicis,hac inſcriptione,CAPITVLA KAROLI. Deinde ſequitur epiſtola,cuius tale eſt exordium, Ego Karolus gratia dei, eiuſque miſericordia donante,Rex & rector regni Francorũ,& deuotus ſanctæ dei eccleſiæ defenſor, humiliſque

Aenigmati hoc ſimile, Vt duo ſimus,& neutrũ ſimus.

Principes cognoſcunt de rebus et perſonis eccleſiaſticis.

Capitula Karoli.

adiutor, omnibus eccleſiaſticæ poteſtatis ordinibus ſeu ſecularis potentiæ dignitatibus, Salutem. Illa ſunt capitula Karoli, quæ tam ſæpe Gratianus allegat: & hic etiam citantur ab Innocentio tertio. In illis agit rex de Abbatibus & Epiſcopis ordinandis ſeu eligendis, de monachorum obedientia, vita & veſtimentis: de virginibus ſanctimonialibus, quę beatiſſimę virginis habitum ſuſceperunt: de ſacramentis ſecundum vſum Romanum: de miſſis in eccleſia, non intra domos celebrandis. Et ſunt in eã ſentẽtiã alia multa ædita capitula: quibus omnibꝰ in epilogi modũ ſubduntur hęc verba: Omnes ſecũdũ canones & ſecundũ patrũ regulas viuere cogam. Huius filius, Ludouicꝰ imp. ſynodum habuit, in qua veſtium luxus, gemmarum vanitates, & pompas nimias eccleſiaſticis interdixit. anno Chriſti. 830. edito etiam libello De ordine & ritu eccleſiaſtico viuendi: non dubito quin talibus legibus eccleſia & vteretur, & teneretur. Pleraque enim ſtatuebantur in eius honorem, commodum, & fauorem: quæ cũ approbarit, eccleſiaſticorum canonum vim obtinent. can. generaliter. xvj. q. 1. cap. x. de conſtit. Pontificibus autẽ ſemper eſt probandum, quod pro ratione temporis expediat, vt nunquàm prodeſſe non poſſint alijs, magis optantes frequenter quod optimum ſit, quàm exigentes: & (quod ipſi quoque Paulo accidit) præſcribentes non quod Chriſto ſit proximum, ſed quod ab his tẽporibus poſſit obtineri: ſcilicet, hos eſſe volo vni æquos virtuti, & eius amicis: vbiq; tamen ſemper ſui ſimiles in ijs quę dei ſunt: quæ vel ſanguinis & animæ profuſione defendere, confirmareq; debent. can. Sunt quidã. 25. q. 1. Ratio quoq; datur altera, cur ſeculares in eccleſiaſticos aliqua ſtatuãt, ac de illis nõnunquã iudicent: quia ſępe tales leges ferri petit eccleſia, ſe cõmittens alienæ ſententiæ: qua ex re obligatur. Incomparabiliter maiorꝰ eſt omnibus, ac dignior eccleſia, veluti ſol inter minora ſydera: ſed eſt receptum, vt ſi quis maior ſubijciat ſe iuriſdictioni alterius, poſſit ei, & aduerſus eum ius dici. l. Eſt receptum. ff. de iuriſd. Leo tertius accuſatus à Campulo & Paſchale presbyteris apud Carolum magnum Romæ agentem, nec dum imperatorem, ſuggeſtum publicè conſcendit, ac euangelia tenens iureiurando affirmauit, ſe omnium rerum, quæ ſibi obijcerentur, inſontem eſſe. Purgationis huius fit mentio in can. Auditum. 2. q. 5. Leo quartus, ſi quid incompetenter egiſſet in legem

Cauſæ tres in qbus eccleſia ſubijcitur laicis.

1.

2.

legem ſeditioſus (dicebatur imperij referendi ad Conſtantinopolitanos conſilia iniјſſe) Ludouici regis Galli Auguſti iudicio voluit emendari, omnemque definiri accuſationis controuerſiam.can.Nos ſi incompetenter .2.q.7.Memna,quem reuerendiſſimum fratrem & coëpiſcopum Gregorius nominat,ab hoc ipſo iam purgatus denuò iubetur obiectum crimen diluere coram Brunechilde Francorum regina.can. Memna.2.q.5. Qua in quæſtione legitur & Sixtum tertium ſe purgaſſe apud Valẽtinianum.can. Mandaſtis.Creſconius quidam illuſtris Siculus ea in prouincia poteſtatem habuit à Pelagio papa ſibi datam in epiſcopos clerum vexationibus opprimentes.can. Illud .10.q.3. quod legis caput ad ſecularem principem ſcriptum glo.Interpretatur.in can.Clericum nullus.xj.q.1.Regali prouiſione quãdoque ſunt electi abbates,epiſcopi,& ipſi etiam ſummi Pontifices.can.Adrianus.lxiij diſt.can.hinc eſt etiam.xvj.q.1.Gregorius Rodulpho & Bertulpho ducibus ſcripſit,vt ſymoniacos,& ſcortatores preſbyteros nullo modo reciperent, ſed eos à ſanctis miniſterijs prohiberent.in §. Verum.32.diſt.vbi annotant interpretes,Papę mãdato laicos poſſe quandoq; ab officio clericos ſuſpendere,imò & excommunicare.quod eſt memoria dignũ.Ita res poſtulabãt: nec violabatur diuini numinis reuerentia: ſtatus eccleſiæ catholicæ manebat illæſus:tum certè Pontificis eſt,ad præſentem rerum ſtatum ſeſe accommodare, temporique pia quadam prudentia ſeruire.Nam Paulus omnia ſeſe factum dicit omnibus, vt omnes Chriſto lucrificaret. Gloſſæ ſunt,quibus aſſentiuntur omnes, in cap. Decernimus. de iudi. in cap. Tua.1. de deci. Papam poſſe cauſas merè perſonales, aut etiam criminales clericorum committere laicis decidendas: quibus addit Cardinalis Zabarella in repetitione cap. Perpendimus.de ſent.excom.eundem quoq; poſſe omnes vnius regionis clericos ſubijcere principi,& ſecularib⁹ iudicib⁹.Certum itaq; relinquitur,eccleſiam poſſe cuilibet in ſe ac ſuos tradere iuriſdictionem & autoritatem tã realem, quàm perſonalem. Clericus nullus inuitus aut voluntarius ſecularia iudicia ſubire debet: adeò vt non ſit obligatorium iuramentum, quo ſe fori præſcriptione non vſurum clericus promiſit: nam, volẽs nolẽs eccleſiaſtico iudici ſubeſt.ca.Si diligẽti.de fo.cõp.Hoc ſi priuato conſenſu faciat:nempe iudicat iniquè de totius eccle-

Rex aſtigat, & nõnũquàm excõmuniat epiſcopos & clericos.

ſiæ conſortio quiſquis illa relicta poſcit auxilium à iudicio ſe-
culari. Ex concilijs hoc Carthag.in can. Placuit.xj.q.1. Sed ſi
publica papæ vel cleri voluntate fiat, rectè fit,& ordine. Vide-
mus in Biturigibus concilium Gallicanum regi demandaſſe cu-
Clericus in ram obſeruandorum decretorum pragmaticę ſanctionis,in cle-
foro ſecula- ricos cõtẽptores coërcitione permiſſa. Hoc illud eſt,quod dico,
ri. Eccleſiam cui vult,daro de ſe iudiciũ:cuius tum legibus viuere
3. debet,ac iuſſis obtemperare. Sed & quum ferendarum legum
principibus ratio perpetua eſt, qualis fuit Caroli Magni, vt ſi
non noſtra voluntate,certè Regis autoritate ſecũdum canones
& maiorũ decreta viuamus,generaliter omnes legibus illis ęquè
ac naturalibus obligantur. Et qui talibus legibus,quæ pro dei
veritate feruntur,non obtemperaret,grande ſibi ſupplicium ac-
quireret.Ex Auguſtini ſententia.can.1.diſt.9. Obligant in foro
conſcientiæ regum leges iuſtæ & rationabiles. Feli. cap.1.ac.x.
de conſt.communem hãc doctorum ſententiam rationibus, &
Honeſtè vi autoritatibus diuerſis probat.Inter alia,ius pręcipit honeſtè vi-
uere. uere.l.Iuſtitia.ff.de iuſti.& iu.id eſt , maiorum legibus & inſti-
tutis,& cum virtute viuere.Ad hoc princeps,& omnis alia po-
teſtas ſibi ſubiectos aſtringere poteſt, autor eſt Albericus in.d.
l.Nequaq̃ tunc lex regia dicitur canonibus imperare: ſed con-
trà, Sancta dei eccleſia leges & reges ſeculares accipit in famu-
latum:quod aliàs non rarò facit.cap.ſuper ſpecula.de priuil. &
x.diſt.Scitum eſt illud Lucij tertij huc apprimè conueniens:Si-
cuti leges nõ dedignãtur ſacros canones imitari:ita & ſacrorũ
ſtatuta canonum principum conſtitutionibus adiuuantur. cap.
1.de oper.noui nunciat.Contrà, μοναρχίσαντες de me quęrẽt,
Eccleſiæne corpus biceps eſſe credis? Bona verba,quæſo. abſit
hoc monſtrum.Sicuti vnum baptiſma,vna fides eſt,vnum cor-
pus,vnus ſpiritus:ſic & vnum caput,& vnus omnium domin⁹
eſt.ad Epheſ.4. Sub quo & in terris etiam vnus tantùm prin-
Supremus ceps,non numero,ſed ſecundum officium:quum,qui ſunt prin-
unus in A- cipes,eadem omnes agunt,iudicant,præcipiunt vno conſenſu,
riſtocratia. communíque decreto. Eadem ſtudiorum voluntas, animorũ
concordia,rerum omnium communio,vulgi etiam prouerbio,
de pluribus vnum facit.Pro eccleſia ſua patrem Chriſt⁹ inter-
pellans.Io.17.Da pater (orat)vt ſint vnum, ſicut & nos. Ouili
ſuo plures deus paſtores pręfecit,& populo ſuo Chriſtiano,ceu

tutores

tutores,plures dedit principes: qui tamen omnes vnius loco numerantur,quia vnius nomine conueniũt.l.Si plures.ff.de pactis.Non vnum regem ſequuntur vbique locorum apum examina,& tamen in apibus rex vnus eſt,quia vnus omnium idẽque animus,& vna natura.Tale eſt regis & eccleſiæ regimen in his fluxis & temporalibus rebus: Papa iubet aliquid, iubet rex: vnus vtriúſque idemq; iuſſus eſt,ad dei laudem & honorẽ: cui ſi contraria iuberent,non eſſet his obediendum. can.non ſemper.& ſeq.xj.q.3.Pertinent huc Innocentij verba cap.Inquiſitioni.de ſent.excom. Præcepto papæ non eſt obediendum (ait) quãdo vehemẽter ex hoc turbatur ſtatus eccleſiæ: peccat enim ſic obediens.Nihilo magis hoc in caſu regi parendũ eſt.Igitur, eodẽ quũ tẽdant oẽs,vna quũ ſit oĩum volũtas,etſi duo non ſint vnus,vnũ tamẽ ſunt.Quomodo & Ariſtocratia noſtra ad vnũ ſupremum redacta eſt. Alterius cura quæſtionis hic innumeros autores exercuit,An papa ſit ſupra conciliũ? qđ apud Gerſonẽ (quẽ titulo Chriſtiani doctoris nõ iniuria donãt)perĩde penè eſt, ac ſi quis quæreret,An papa ſit ſupra Chriſtum?Promiſit hic in medio ſe fore duorũ vel trium ſuo nomine cõgregatorũ. Matt. 18.Eſt ergo medius in concilio. hoc certo certius. quis hominum ſe præponet amplius?Igitur,Plenarij concilij (vt loquitur Auguſt.1.generalis)autoritas in eccleſia vt ſaluberrima eſt, ita maxima eſt: cuius iudicium,dirigente ſancto ſpiritu, nec ignorantia,nec malignitate aliqua peruerti poteſt: cuius autoritatẽ modis omnibus indubitatam & inconuulſam eſſe oportet : cui (me iudice)qui reſiſtit(quiſquis eſt) deo reſiſtit,à quo illud poteſtatem ſumit. Intra cõcilium ſunt eccleſiaſtici fideles omnes, nemo ſupra.Non poteſt enim caput dicere,non ſum pes, ideò non ſum de corpore.Eſto papa primus in illo ſedeat, non tamẽ ſolus eſt earum cauſarũ iudex quæ tractantur & agitantur in concilio:qui interſunt omnes,ſunt cõiudices.Videmus ĩ veterũ patrum concilijs,vnumquemque epiſcoporum ſubſcripſiſſe deciſis,ac definitis per concilium.Refertur in.§.hinc etiã. 17.diſt. can.1.diſt.96.Qua de re diſputat Inno. in cap.Graue.de præb. Paulus acerrimè Petrum reprehendit,& obiurgat ad Galath.2. Alijq; multi alios eodem præditos gradu: quorum caſus multorum ſecum ruinam trahit.Poteſt idem & concilium. Cæſarũ Theodoſij & Valentiniani epiſtola eſt apud Iſidorum: Sacerdo

Concilium ſupra papam.

talem conuentum nonniſi quis mali propria conſcientia ſaucia eus euitat. Quòd ſi de gentilitate proferre aliquid libeat, Alexander Seuerus, imperator, & idem pontifex maximus, tantùm minoribus pontificibus detulit, vt quaſdam cauſas ſacrorum à ſe finitas iterari & aliter diſtingui pateretur. Ex Aelio Lampridio. Papa non ideò ſummus eſt, quia ſummus pontifex eſt, ait Bernardus ad Eugenium. Quis enim feret hæreticum papam? quis ſymoniacum? quis maſculorum concubitorem? adulterũ? ſcortatorem? veneficum? homicidam? Et id genus in Chriſti lege portenti? Quis magis à fide poteſt eſſe deuius, quàm qui pec cat incorrigibiliter: & ſi non verbis, ipſum tamen deum factis, & tota vita negans? Certè qui ſic viuit, eum credere non puto, id quod eſt totius fidei noſtræ baſis, animam ſupereſſe à morte corporis. Petrum ferre non potuit Paulus ob neſcio quam ſimulationem victus: & eccleſia tota membro tam putrido ſupponetur? Auferatur, auferatur (ait ille Chriſtianus doctor) à virgine & immaculata ſponſa ſponſus lepris iſtis tam putidis & contagioſis infectus, qui ſanari correptionis Pharmaco negligit: & innumerabiles populos cateruatim ſecum gehennæ mancipio ducit. can. Si papa. 40. diſt. Plectatur inſtar diaboli ſine venia. ſic loquitur gl. non ſine tex. in can. aliorum. 9. q. 3. Si qua ſint in cõtrarium decreta, pro me his reſpondebit Oldradus conſ. 69. Non eſt inquiens credendum iuribus dicentibus, vnũ tantùm eſſe debere imperatorem orbis, & regũ omnium dominũ ſummum: quia imperatores illa fecerunt. Non eſt iam talibus itaque locus vllus, hoc potiſsimùm factioſiſsimo ſeculo, quo verè nimiùm licet exclamare cum Hieronymo, ac neſcio an iuſtiùs: Romanus orbis ruit, & tamen ceruix noſtra erecta nõ flectitur? Ruit imperium noſtrum, & non ruunt peccata noſtra? Vides (ingenioſe lector) quibus argumẽtis Chriſtianę ciuitatis Ariſtocratiam defendam: cuius tantùm conditor, rectórque Chriſtus eſt: in qua ſibi ſeruiunt inuicem in charitate, & præpoſiti conſulẽdo, & ſubditi obtemperando. Pauca quidem ſunt præ iis, quæ ad hanc partem adduci poſſent. Verùm ſufficere credidi, vt ſine ambiguo maneat hæc imperiorum communio. Vbique tamen ſuo quemque munere fungi volo ſine poteſtatum confuſione. Et quod ſalubriter Nicolaus papa monet, Nec imperator iura pontificatus arripiat: nec pontifex nomẽ imperatorium vſurpet

Hierony. in epitaphio Nepotiani.

Cõmunio, nõ cõfuſio

ſurpet:can. Quam ad verum. 96.diſt.Apud Platonem (quod probat Gratianus) illa ciuitas iuſtiſsimè ordinata traditur, quæ proprios neſcit affectus.8.diſt.Sic eſſe Chriſtus voluit in ſua ciuitate:ne(quod eſt in M. Agrippæ fabula) per diſsidium membrorum,dum quodque ſibi priuatim fauet,collapſo corpore pereant omnia. Suis igitur princeps reipublicæ quotidianis adminiſtrationibus contentus eſto:non occupet ea quæ ſacerdotibus domini conueniunt. Alia eſt enim ratio cauſarum ſecularium, alia diuinarum: Neque eſt ita in eccleſiaſticis agendum negocijs,veluti in popularibus.can. Celebritatem de cōſ.diſt.3.can. Non ita 2.q.6.Nec dominus apoſtolatum, nec apoſtolicus dominatum inuadat,ait Bernardus ad Eugenium. Hoc Innocentius tertius præfatur hic inquiens,Nec rex noſtram,ſed nec nos regis debemus impedire iuriſdictionem. Et infrà colligitur, quod non debet alter alterius imperium turbare,minuere,impedire. Impedit,qui obſtat,ne quis quę ſui ſunt officij faciat. Turbat is, qui iam facta confundit,nec habere ſinit effectum:qua forma dictum eſt,turbare pacem,diuina atque humana turbare, & ſimimilia. Minuit autem,quiſquis de ijs,quæ ſunt alterius poteſtati ſubiecta, cognoſcit & pronunciat,eius iuriſdictionem minorem faciens & extenuans. Aiunt quòd iudex quicunque, delegatus aut ordinarius,cuius impeditur, minuitur, aut turbatur iuriſdictio, ſua poteſt autoritate procedere ad aduerſarij punitionem: atque tum in re propria licentiam habet ſententiæ,ſibiq; iudex eſt.cap.1.de pœnis.in 6.traditur. Vt interim taceam, quòd quicunque quouis modo malefaciunt eccleſijs,aut alijs venerabilibus locis,eccleſiaſticæ iuriſdictioni ſubiecti ſunt. cap. Quum ſit generale,de foro comp. Regiū quoq; nō minùs eſt q̄ pōtificiū, iuriſiurãdi religionem tueri:quod oſtendā proxima cōcluſione.

poteſtatū i Ariſtocratia.

impedire, turbare, minuere iuriſdictionē.

De periurio quærētem pontifex audit:pariter & princeps: peierantem coërcione debita punit:ſæpe cauſas retractat falſo iuramēto deciſas.

DE PERIVRIS.

Quando iurandū,& quomodò,quatenúsve iurat⁹ obligetur, Gratian⁹ in cauſa vigeſima ſecunda per quinque prolixas quęſtiones docuit:quo ſimiliter argumento titulos habemus in decretalibus Gregorij, & Bonifacij, & in Clementis conſtitutio-

nibus,de iureiurando.Quo verò iudice cauſa hæc diſceptetur, ſuprà ſatis diſputauimus. Si quis autem iuſiurandum violat, & negligit: ſi quis iurando fallit,aut ius peruertit,is periurare, ſeu peierare dicitur.(vtrunque in vſu eſt) Et periurium eſt iuriſiurandi contemptus,& fidei violatio. Non quiſquis falſum iurat, periurus eſt:quid enim ſi verum credidit?præter ſe nemo fallitur.Et ſæpe is peierat, qui verum iurat: vt ſi falſum putet eſſe quod iurat.In dolo ergo iurare oportet.Nihil enim aliud eſt peierare, quàm mentiendo iurare. Mentitur autem, qui ipſe non falſus alterum fallere conatur,aliter atq; animo ſentiat,loquēs. Iſthæc ex Auguſtino Gratianus repetit quæſtione.2.dictæ cauſæ.Falſum iurare non eſt peierare, (inquit Cicero)ſed quod ex animi tui ſententia iuraueris,id non facere,periurium eſt.offi.3. Idem aliubi,mendacem à periurio nimium diſtare putauit, pro Roſcio Comœdo, Qui mentiri ſolet (ait) peierare conſueuit. Quid eſt?Reddes domino iuramēta tua:hoc eſt,iurās, verū loqueris: ait Chryſoſtomus.Nā iuramentū eſt confirmatio veritatis.cap..Etſi Chriſtus de iureiu.Peierare autem immane peccatum exiſtimatur,& grande ſcelus, quale furtum, vel adulteriū, nec inferius homicidio ſpontaneo (vti eſt in eccleſiæ canonibus)& in lege,& in prophetis,& in euangelio prohibitum.Habemus in lege dei ſcriptum,Non peierabis in nomine meo:nec pollues nomen dei tui in vanum. Leuit.19. & Micheæ.3. cap. Propheta iudicium dei peierantibus inſtans minatur ipſius dei verbis,Ero teſtis velox periuris,qui non timuerunt me. Et in Euangelio,Chriſtus(inquit Auguſtinus)à periurio lōgè nos eſſe voluit,qui omnino ne iuremus,cōmonuit.Matth.5.cap. Sed & gentilium ſuperſtitio periuria deteſtatur & horret:Satyris etiam crimen exagitatum.De quo & Plautus in Rudēt.prologo.

Periurare, & periurium.

Crimē periurii.

Iuuenalis ſaty.13.

Hoc in animum ſceleſti inducunt ſuum,
Iouem placare ſe poſſe omnibus hoſtijs:
Et operam,& ſumptum perdunt:atque ideo
Fit,quia nihil ei acceptum eſt à periurijs.

Pœnas modò tanti criminis è Iure breuiter exequamur.Panhormitanus Antonio Butrienſi conſentit in cap.dilectus.de tempo. ord.adſtruenti nullū vnquàm periurium canonum ſtatutis inultum manere:tametſi deum ſolum vltorem habere dicat imperatoria quædam conſtitutio.Graue eſt,& capitale crimen: in quod

quod quicunque ſciens inciderit, dies quadraginta pane tantùm & aqua victitantem pœnitere oportet: ac per ſeptem poſteà ſequentes annos, et nunquàm ſine tanti delicti pœnitentia manere. can. Quicunque. 6. q. 1. can. Si quis peierauerit, & quatuor primis præcedentibus. in quibus & aliæ peierantium pœnæ, 22. q. 5. Vnde & eccleſia pronunciat infames omnes huiuſce criminis publicè dãnatos, quouis peierarint modo, ſiue falſum quid aſſerant iurantes, ſiue licitum quid promittãt, quod poſteà præſtare nolunt. can. infames. 6. q. 1. can. conſtituimus 3. q. 5. Pariter & legibus infamia notatur, quiſquis maior annis ab ſe iuratæ pactioni cõtrauenire non veretur. l. Si quis maior C. de trãſact. Tam maculoſa autem eſt hæc infamia periurij (quanq̃ in alijs grauib⁹ peccatis aliter) vt nulla vnq̃ deleatur pœnitentia: nec poſsit integritati famæ periurus reſtitui: quare vel emendatus nunquàm in teſtimoniũ recipitur, inteſtabilis perpetuò. d. can. Quicunque. & cap. Teſtimonium. de teſt. Non amplius illi iuranti ſiue in ſua, ſiue in aliena cauſa creditur. can. Paruuli, 22. q. 5. quo in loco periurum annotant omnium legum, canonum, ſtatutorum gratiam perdidiſſe, volentium cuiuſpiam iuramento ſtari. Quod Accurſius & cæteri legum interpretes affirmãt in. l. Lucius. ff. de infa. Quò pertinet illud eiuſdem Ciceronis pro Rabirio: Vbi ſemel quis peierauerit, ei credi poſteà, etiam ſi per plures deos iuret, non oportet. Contra ſe tantùm iuranti fides habetur, ait gl. in cap. Dilecti. de foro comp. Quod innuit textus cap. Quum in eccleſijs. de maio. & obed. Ad hæc, periurij confeſsis aut conuictis auferuntur eccleſiaſtica beneficia, ſi qua detineant. cap. 2. de reſcr. cap. Quum non ab homine. hoc tit. Ita vt epiſcopus propter periurium deponatur, & epiſcopatu priuetur. Nouorum autem beneficiorum ſunt incapaces: ſiquidem non debent eccleſias regere, qui ſunt crimine periurij irretiti. cap. Quærelam. de iureiu. Propter quod facinus & ciuilis quæcũque dignitas amittitur. l. pen. de dign. lib. xij. C. Baldus aſſerit interpretans cap. Quum quidã. d. tit. de iureiu. doctorem periurij damnatum gradu ſuo remouendum eſſe. Periuris factam beneficij collationem iure ipſo non valere docuimus in Exegeſi noſtra, cap. de multa. quæ perpetua eſt Panhor. opinio, & habet rationem multam cum iuris, & æquitatis rationibus congruentem. Quin & ab agendo repelli periurũ gloſ-

Peierantiũ pœnæ.

ſa tenuit in.d. can. Paruuli: Speculator quoque in tit.de actore. Non niſi reus in iudicio ſtat: vt de excommunicato legitur, in cap. Intelleximus.hoc tit. Prætereà ſi iuret aliquis contractum, compromiſſum, vel tranſactionem: qui poſteà non neceſsitate, ſed voluntate iusiurandum contemnat: periurus hic cauſa cadit, pœnam ſoluit, data reſtituit, reique proprietatem perdit.d.l. Si quis maior. Teſtis quoque periurus ad damni ſatisfactionem conuenitur ab innocente, quem falſo teſtimonio læſit. Ita viſum Panhor.in cap.1.de crim. falſi. Hæc, vbi ciuiliter agitur. Inſuper & actione pœnali tenentur periuri, legibuſque Romanis plectuntur vt ſtelliones, qui per calliditatem & dolum, diſsimulata veritate, quid agunt. Quiſquis periurio decepit aliũ (mentitus, verbi gratia, pignora ſua eſſe, quæ ſunt aliena) exilio ad tẽpus, vel alia extraordinaria pœna coërcetur.l.fi. De cri.ſtel. Poterit (inquit Iaſon) iudicis arbitrio vel cædi fuſtibus, vel cathenatus, aut infulatus de more cum elogio publicè traduci. In l. Si duo.§.vlt.ff.de iureiu. Et in cauſa capitali teſtis peierans ſimilitudine ſupplicij punitur. Baldus in l.2.de reb cred.C. Quod, & Moſes in ſua Rep. voluit, legis ſecundò latæ cap.19. Non miſereberis eius (de falſo teſte loquitur) ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. Alia verò in cauſa qui peierans falſum teſtimonium dixit, incidit in pœnam legis Corneliæ de falſis, quæ eſt deportatio cum publicatione bonorum.l.1.ff.ad leg.Cor.de fal. Sub Cæſaribus olim ſi quis peieraſſet per genium principis, id eſt, per illud ſpeciale numen quod genium principem ſuſcipere ac tueri credebatur in terris, lege Iulia maieſtatis tenebatur. quod.2.lex vtraque ſatis indicat De reb.cred.& ad leg. Iul.maieſt.C. Venerationem tum principis, ac ſalutem contemni rebantur, maieſtatemque lædi. Pœnam Marcus Imperator cum filio ſuſtulit. Placuit ijs vt non ampliùs ita peierans capite poſtularetur: ſed vt huic tantùm fuſtibus caſtigato ſuperindiceretur effrenis & temerariæ linguæ nota, προπετῶς μὴ ὄμνυε. refert Vlpia.in fi.d.l.Si duo.ſuprà citatæ. Quod Alexander poſteà voluit hoc temperamento fieri, ſi animi iudicio, non calore iuraſſet, dictis duabus.2.ll. Iſtós ne putas inulta diuina reliquiſſe? Ne tamen hinc iræ furorem dixeris omnem iurantis culpam tollere, criminiſque pœnam auferre. Propter inconſultum

Teſtis periurus.

Peierantes per geniũ principis.

tum calorem punitio tantùm remittitur,non dimittitur. Nam datur iniuriarum actio contra eum,qui rixa calidus & iratus,homicidij conuicium obiecit alteri.l. Si conuicij.C. de iniur. Et mulieri non parcitur, quæ calore iracundiæ filiū interfecit.cap. 1.De his qui fil.occid. niſi fortè quatenus animi perturbati miſeratio iudicem ad mediocrem pœnam perduxerit.quod illo in cap.Panhor.annotat,exigēns & iræ iuſtum dolorem:quid enim veniæ ſperare debet,qui nudatus alea,iam non ſui compos immane aliquid patrat?Pittaci lex fuit Athenis, qua voluit ebrios, ſi quē pulſaſſent, maiori pœna damnari,quàm ſi ſobrij feciſſet. Hanc eſſe cauſam ſcias, cur eccleſiæ canonibus iuramenta omnia temeraria & illicita diſſoluantur,& variè puniantur : vt videre eſt per integram quæſtionem quartam cauſæ 22.Temerarium autem iuramentum eſt , quando iurandi cauſa nulla ſubeſt.cap.Et ſi Chriſtus.de iureiu.Vt qui iurant per temulentiam, iracundiámve,aut animi gratia iurant ,qui blaſphemiæ proximi ſunt.Neque nos tamen hic de blaſphemis loquimur aſſuetis in deum execrabilia verba proferre,cœleſteque numen conuicijs & deierationibus inceſſere. Expedita res eſt: hos vltimo ſupplicio Iuſtinianus ſubmiſit.auth.vt non luxu.&c.Blaſphemia ſpecies eſt hęreſeos , autore Baldo in l. Qui accuſationem.C. Qui accuſ.non poſ.propter quam laicus in eccleſia dei fit anathema:& clericus ab ordine eccleſiaſtico deponitur,can.Si quis per capillum.22.q.1.Iure igitur ac meritò,qui non iurant in veritate,in iudicio,& in iuſtitia (quemadmodùm dominus apud Hieremiam cap.4.præcepit)id eſt,qui falsò,vel temerè,vel impiè ac iniuſtè iurant,& ciuilium, & eccleſiaſticarum legum reos aſſerimus.Quid ergo(inquis)reſcripſit imperator, quòd iuriſiurandi contempta religio ſolum deum vltorem habet? l.2. C.de reb.cred.Hoc eo ſenſu dixit, quo Cicero.2. de legib. ait, Periurij pœna,diuina eſt exitium:humana,dedecus.In concilio quodam Toletano ſic legitur:Dum peieramus,creatorem quidem offendimus , & nos tantummodò maculamus.can.1. diſt. 13.Reſpiciunt iſthæc priuatorum vota,cautiones,conuentiones, & pacta.Quis vnquàm voti concepti ſolùm, necdum nuncupati(hoc ſolenne vocāt,illud ſimplex)præterquàm de cœlo reus damnatus eſt?Vtroque nos æqualiter obligamur deo:ſed tamen ad ſolennis obſeruationem compellimur eccleſiaſtico iu-

Ira delinquentem nō excuſat.

Temerariū iuramētum.

Blaſphemi.

Lex.2.C. de iureiu.

Conceptum & nūcupatum uotum.

dicio: non item ad ſimplicis. cap.3. Qui cler.vel vouent: &c. Solẽne votum contemptum infamat apoſtatas: non item ſimplex. Simile de periurio dico. Solemne (quale in iudicijs, cõtractibus, & alijs, de quibus pauló antè) perpetuã irrogat infamiam: minimè ſimplex: propter quod nec à beneficio repellimur, nec à teſtimonio. cap. intimauit. De teſtib. cap. Sicut noſtris. de iureiu. Videto gloſſam hoc docentem in can.1.lxxxv. diſt. Extra iudicium iuraſti quippiam te facturum (nominãt hoc iuramentum promiſſorium de futuro) quod ipſe poſteà negligis, nec iuramenta tua deo reddis: ille ſolus vlciſcetur perfidiam, cuius nomen in vanũ ſumpſiſti: hinc etenim nulla naſcitur actio, ex Innocentij ſententia hic, quam latiùs explicat Iaſon in, l. iuſiurandum quod ex conuentione. ff. de iureiu. Res inter nos controuerſa eſt, iuſiurandum tibi defero, iuras eſſe tuam, vel tibi debitam: habet hoc inſtar iudicij: nihil amplius quærendum eſt: dare facereve me oportet quod iuraſti: quandoquidem omnis cõtrouerſiæ finis eſt iuramentũ. Hebr.6.l.1. & ferè per totum tit. ff. de iureiu. De me ſolo queri debeo, qui rem tuæ commiſi fidei, qui te tuæ cauſę feci iudicem: Non enim datur actio, qua tecum experiar: vna ſupereſt apud eccleſiam periurij denunciatio, iuxta ſuperiùs per me tradita. Veruntamen iſtiuſmodi peierantes licet prætorum & iudicum verbis non habeantur infames, re tamen ipſa, & opinione hominum non effugiunt infamiæ notam. Hæc eſt probroſa dedecoris turpitudo, qua ſe bonorum iudicio commaculant, quicunque peierant, ex Ciceronis & Concilij autoritate (dicitur infamia facti) Cui non deeſt vltio diuina. Exodi 20. Non habebit inſontem dominus eum, qui aſſumpſerit nomen domini dei ſui fruſtrà.

Quæ nõ puniantur legibus periuria.

Conſonat prædictis quod ſequitur in aſſertione, Regem ſæpe cauſas retractare falſo iuramento deciſas. Hoc ſemper eccleſia facit, audiens vbique periurorum denuntiatores: quãdoque verò princeps poſt falſum iuſiurandũ cauſas ex integro agere permittit, ne quis iniquum lucrum, vel damnum periurio ſentiat. Teſtamento fortè non apparente, iuraſti (hærede hoc petente) in eo tibi legata centum: poſteà vult hæres idem probare, nihil tibi fuiſſe derelictum: admittitur: & reddere debes quod accepiſti doloſo & perfido ſacramento. Nam dubia voluntatis vltimę cauſa rerum tantùm veritate deciditur, l. fi. C. de reb. cred. Nec

Quibus in cauſis iuramentum nõ prodeſt.

etiam

etiam iuramento cuiuſquam ſoluitur matrimonium. Deferente Titia, iuras illam non eſſe vxorem tuam: non proficit iuſiurandum: veritas enim ſemper quæri poteſt. cuius rei argumentum magnum eſt in cap. lator. De ſent. & re iud. Quo vtitur Accurſius in. l. 3. §. quacũque. ff. de iureiu. extendens & hoc in monachiſmo denegando, puta ſi quis cum iuramento monachum ſe inficietur. Indubitatum, quod vtriuſque coniugum in iure contraria coniugio confeſsio matrimonio non præiudicat. cap. 5. De eo qui cogn. conſ. vxo. Rurſus, in dubia cauſa iudex te iurare iuſsit (dicunt hoc eſſe iuramentum neceſſarium) ſecundum quod iudicatum eſt: Nouis tamen inſtrumentis aduerſario licebit vti iuriiurando contrarijs: Et retre&abitur ſententia. l. Admonendi. ff. de iureiu. Quid ſi lex iuſiurandum deferat (vt in rerum raptarum, vel damni dati fit æſtimatione. l. Si quando. C. vnde. vi.) & vltra debitum iures? Baldus affirmat audiri probationes in oppoſitum. d. l. 2. de iureiu. C. Legimus vbi iuſiurãdum delatum intelligitur hac conditione, ſi non peieres: vtputa, quum de re non contentioſa iuratur: non ſtatur religioni, ſed approbatum periurium reſcindit quodcunque pactum & promiſſum. l. Si cum patruo. C. communia vtriuſq; iud. Et alia plura ſcio poſſe de periurio dici; verùm non eſt inſtituti noſtri huc omnia congerere, quæ ſunt in hanc rem prodita. Quantula ſint iſthæc, aſſertioni noſtræ ſufficere credo.

Talis eſt (vt deſcripſimus) Ariſtocratiæ duumuiratus: ſub quo magiſtratus alij ſunt plurimi: quos pariter ad ſuæ ciuitatis ordinem conſeruationemque deus eſſe voluit, qui ſol⁹ è cœlo dat hominibus in homines imperium & poteſtatem. Io. 19. Ad Ro. 13. Aſſumunt igitur exemplo Moſis & duumuiri noſtri viros alios, in quos onus impoſitum ſibi partiantur, vt populum diſceptantem audiant, & iudicent. De quorum nos officio quædã breuiter ſubdemus. Exodi. 18.

AD VTRIVSQVE FORI ſectatores.

In iudiciis, ſed & in pleriſque extraiudicialibus, æqualitas omni ex parte ſeruanda eſt, nullo cuiuſcunque reſpectu.

DE IVDICANTIS OFFICIO.

Non puto prolixiore probatione concluſionem hanc indigere: quoniam veritatis regula eſt, vt nihil facias tui cauſa, quo minor alius fiat. can. Si quis. xi. q. 3. Et aliorum honores alijs dãnorum occaſionem fieri non oportet. l. vlt. C. De ſtat. & imag. Deus hanc & natura cuiuſque animo infixit: Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. can. 1. diſt. 1. vbi ius hoc, naturale vocatur. Maximè legiſlatores in controuerſijs, quas in iudicijs moueri contingit, æqualitatem litigatoribus ſeruari volunt, vt quod vni conceſſum eſt priuilegium, (finge, ſuper litis expenſis, aut ſportulis non ſoluendis) ad collitigatorem aduerſarium extẽdatur. l. in ſacris. De prox. ſacr. ſcri. lib. 12. C. l. fi. De fruct. & litiũ exp. C. atque id ſine iuſta cuiuſquã indignatione, dum ſecundum vetus prouerbium, Trutina penſatur eadem, & patitur quod fecit. E cœlo illud eſt, hominibus etiam tacentibus, Quo iudicio iudicatis, eo iudicabitur de vobis: & qua menſura metimini, ea metientur vobis alij. Matth. 7. Romani prætoris edictum eſt in eundem ſenſum, Quod quiſque iuris in alium ſtatuerit, vel obtinuerit, vti ipſe eodem iure vtatur. primo quinquaginta iuris digeſtorũ à Triboniano librorum. Statuit iudex aut alia prouinciæ poteſtas, vt Titius à creditoribus ſuis ante annos duos non conueniatur, omnibus interim quo iure quaque iniuria denegans actionem: hoc nouo iure, quod in creditores alienos ſtatuit, ipſe creditor vti debebit, nec ante biennium debitores ſuos conuenire poterit, quod habet æquitatem ſummam, quæ ſuos legi ſubiicit autores. Quo ſimiliter edicto tenetur, qui ſpeciatim aduerſus aliquem ius iniquum poſtulauerit & impetrauerit. Ius iniquum appello, quod non eſt ex æquo, ſed in alteram inclinat partem: quando ſic auditur vna pars, vt alteri præiudicium irrogetur. can. fi. 3. q. 9. Indulta tibi eſt aduerſus creditores tuos exceptio quĩquennalis: in te hæc etiam retorquebitur, eaque tui debitores vtentur. l. 3. d. tit. Quod quiſque iu. Vides æqualitatem legibus commendari, vt eo pacto tecum (videlicet) agatur, quo tu cum alijs egeris. Simile eſt & in. l. Ratas. C. de reſcind. vend. vbi, quam ſibi legem tribui milites quidam poſtulant, ea conueniuntur. Diuina eſt illa Moſis ſanctio, Non erit apud te acceptio perſonarum. Deut. 1. Ius dicentibus mandatum hoc perpetuum eſt. Leuit. 19. Non conſi-

Ex æquo iudicare.

Ius iniquũ.

conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis: ſed iuſtè iudica proximo tuo. Regula iuris, In iudicijs non eſt habenda acceptio perſonarum. in.6. Eſt acceptio perſonarum, quum electione quadam alius alio meliùs accipitur, id eſt, tractatur, & ei plus fauetur. Ignota vox Latinis, vt puto, certè non eſt in Pandectis. Paulus ad Ro.2. voce Græca vſus eſt, προσωποληψία, quam vulgò in acceptionem perſonarum vertunt: propriè ſignificat reſpectum perſonæ, quũ vni magis fauemus quàm alteri, non ob ipſius rei, ſed perſonæ diſcrimen. Iniquitatem hanc deus fieri per Moſem prohibuit, Nolite (ait) facere iniquũ aliquid in iudicio. Vnde & talionis pœna conſtituta eſt, qua lex olim XII. tab. parem vindictam permittebat: vt cui membrũ ab alio ruptum eſſet, ipſi itidem ex æquilibrio membrum rumperet: apud Gellium cap.1. libri 20. quæ (ſi dici poteſt, inquit Auguſtinus) iniuſtorum iuſtitia eſt. can. Sex differentiæ. 23.q.3. quã & in accuſatoribus quondam, iudice tamen decernente, ſeruauit eccleſia, vt qui non probabat quod obijciebat crimen, pœnam quam intulerat, ipſe pateretur. can. Quiſquis. & ſeq. 2.q.8. Et talionem calumniator recipiebat. 4.q.4. can.2. Idem quoq; ciuili iure. l. *Si* cui. ff. De accuſat. l.3. C. Qui accuſ. non poſſ. Abrogatam contraria iudiciorum conſuetudine, vſúque forenſi Feli. prodidit in cap. Super his de accuſ. Talionem mihi ſpectare videtur lex illa, Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias: quíve percuſſerit, volens occidere, morte moriatur. Exodi. 21. Cui reſpondet Romanorum lex Cornelia de ſicarijs, libro. 48. Digeſtorum: vt, iuxta verbum domini, qui gladio ferit iniuſtè, gladio iuſtè pereat. Eodèm pertinet & illud Hebræi ſapientis, Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sap. xi. Exemplum habes in cap. An ſit. De appell. cap. fi. de immu. eccleſ. cap. Paſtoralis. De iure patro. & innumeris alijs in locis. Ne ſim verboſior, legibus omnibus iudicium claudicans improbatur, æqualitas præcipitur. Prouerbialiter hoc dicũt, æqua lãce iudicare, & vna eademque lance trutinari. l. non tantum. ff. de re iud. l. Quum quis de natur. lib. Et. l. vt liberis. De collat. C. & alibi. Trutina nobis eſt adhuc, vt fuit antiquis, ſymbolum iuſtitiæ. In iudicijs hæc: vbi nõ debet vni licere, quod alteri non permittitur. l. non debet. ff. de reg. iuris. Expectatur & ab arbitris æqualitas: quorum iuſſum non oportet in alterius perſona

Acceptio perſonarũ.

Talio.

In omnibus æqualitas.

ratum eſſe, in alterius non. l. Si quum dies. §. pen. ff. de arb. Sed & pacta pleráque nos & priuatorum contractus ex æquitate, Papinianum ſequentes, interpretamur. l. Si ſocius pro filia. ff. pro ſocio. Et ſunt actiones mutuæ proditæ, obligationeſque mutuæ. l. Si idem. ff. de iuriſd. inſtit. De autor. tuto. infrà de mutuis petit. quæ nituntur æqualitate omnia. Vitanda quoque eſt inæqualitas in bonis paternis inter liberos diuidendis, vt præcipuum aliquid nullus habeat, & quod præceperit in medium quiſque conferat. l. 1. de collat. bon. ff. Auth. Ex teſtamento. C. eodem. quo in loco multa Baldus. Fertur Solonis celebrata vox (quemadmodum ſcribit in huius vita Plutarchus) æqualitatem minimè bellum efficere. Inæqualitas eſt diſcordiarum mater: æqualitate continetur concordia. Deſcriptus eſt à Cicerone finis in iure ciuili; qui alius non eſt, quàm legitimæ atq; vſitatæ in rebus cauſiſque ciuium æqualitatis conſeruatio. primo de orat. libro. Et in partitionibus orat. Aequitas (ait) eſt quæ directi, & veri, & iuſti, & (vt dicitur) æqui & boni ratione defenditur & cõſiſtit. Id eſt, illa ſimplex & naturalis bonitas, qua nemini nocere, omnibus prodeſſe cupimus, ſuum cuique tribuentes, opprimentes neminem, ſemper ad rectam veritatis normam viuentes, æquitas appellatur. Vnde veteres illi iuriſconſulti vocantur arbitri æquitatis, qui iuris ciuilis inſtitutiones ediderunt ad ſopiendas diſsidẽtium lites. can. reſponſa. diſt. 2. His, atque alijs pluribus (ſed omnia ſicuti cum decoro dici non poſſunt vno in loco, ita nec debent) in ciuitate noſtra chriſtiana ſtatuitur Iſonomia, perpetua comes Ariſtocratiæ (turpis enim eſt omnis pars vniuerſo ſuo non congruens) ſecundum quam æqualiter omnes ad ſalutem ſine ſexus varietate, ſine annorum diſcrimine recipit eccleſia: quandoquidem (quod Paulus ad Galathas ſcribit) neque liber eſt, neque ſeruus quiſquã, nec Scytha, nec Romanus, imo neque vir, neque fœmina in Chriſto Ieſu: qui cunctis æternæ vitæ lumen pari æqualitate largitur, ait Cyprianus in can. Nec quemquam. De conſ. diſt. 4. Ariſtoteles quinto Ethicorum, & in tertio Politicõn de æqualitate ciuili diſputans, hanc appellat τὸ κατ᾽ ἀξίαν δίκαιον, id eſt, ius ſecundum dignitatem: quod pro cuiuſque dignitate præmia diſtribuit & honores, pœnáſve ſtatuit proportione quadam. i. rationis æqualitate ſeruata: contra quam ſi quid diſtributum fuerit, non ius erit, ſed iniuria: ve-

Finis iuris ciuilis.

Iſonomia in ariſtocratia

Ius pro dignitate.

ſi ſint in poſtremis,quos omnium primos eſſe conueniebat,primáſque ferant bipedum poſtremi. Pendet hinc ſequens concluſio,

A quo tamen non eſt alienum, quod aiunt, Aliter cum regibus, & aliter cum aliis agendum eſſe.

DE AEQVITATE.

AEquitas (vt cum Bart. ſcribit Albericus) eſt iuris temperamentum, ex cauſa recedens à communibus regulis iuris.l.1. C. de legib. Ius à cunctis vult obſeruari,ſiue lege conſtet,ſiue moribus, ad præſcriptam ſemel normam recta omnia, & inflexibilia exigens,autore Donato. Aequitas verò multùm de iure remittit:hæc iuſticiæ maximè propria eſt,vt ſcribit Cic. Offici.1. Vnde ſumpta videri poteſt illa Conſtantini, & Lucij impp. cõſtitutio, Placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe iuſticiæ æquitatiſque ſcriptæ,quàm ſtricti iuris rationem.C.de iud. cui concinit cap. vlt.de tranſact. Non eſt æquitas aliud, niſi quædam iudicandi & decernendi æqualitas,non eadem omnibus,ſed ſuum cuique tribuens. AEqualitas enim eſt ſeruato rerum diſcrimine,cuique pro ſua dignitate diſtribuere quod decet,& officio conuenit. Hoc in Exegeſi probaui,poſtrema hæc cap. De multa exponens verba, Quæ maioribus beneficijs &c. Si quid æqualiter inter aliquos diuidendum eſt,vni plus,alij minus dari poteſt:æqualitas enim boni viri definitur arbitratu. Quod aſſerit Bart.in.l.3.ff.de annuis leg. ἰσονομίαν interpretatur idem Cic.in primo de nat.deo.æquabilem tributionem,quando (ait) omnibus omnia,paria paribus reſpondent. Quemadmodùm in repub. bene inſtituta nihil eſt æquatione bonorum & fortunarum capitalius,quamuis pari ſint omnes virtute: Sic & pœnarũ æqualitas,etiam ex iiſdem facinoribus,ſumma eſſet inæqualitas, ſummaque iniquitas. Aliter enim ſerui,aliter liberi puniuntur.l. Aut facta.ff.de pœnis. Et hic aliter cum regibus,& aliter cum alijs agendum eſſe dicitur. Nam,in inferendis coactionibus, dignitati deferendum eſt, & perſonæ.cap. Paſtoralis.de offi. del. leg. Et cap.2.eodem tit.in.6. Feſtiuiter dixit Plinius æqualitate in ferendis ſententijs nihil inueniri poſſe inæqualius. Adſit igitur (quod monet Horatius) Regula peccatis quæ pœnas irro-

In Adelph. Terent.

Aequalitas eſt in æquitate.

Iſonomia.

get æquas ; Nec ſcutica dignum horribili ſectere flagello. Ita rem hanc ſatis confuſam digero:vt ordinario iure,mitiùs & leuiùs plectendos putem,qui ſunt aliqua dignitate nobiles,quàm qui priuati viuunt, & ignobiles.can.Qui contra.24.q.1. Neque enim decuriones in metallum damnari poſſunt, nec furcæ ſubijci,vel viui exuri debent.l.Moris eſt.§. Sed enim ſciendum eſt. ff.de pœnis.quæ ſunt humiliorum pœnæ.Et qui gradus eccleſiaſticos meruerunt, nullis verberibus ſubiacere debent. can. Quum beatus.45.diſt.Niſi fortè criminis modus, & accidens qualitas grauius quiddam poſtularet.l.Quædam.d.tit.de pœnis. & d. can. Quum beatus. Quis neſcit famoſos puniri duriùs, quàm integræ famæ homines? vt illo titulo dicitur.in fi.l. Capitalium. Quandoq; videre eſt vnicuipiam delictũ vel nullam vel leuiſsimam irrogare pœnam, quam dat alij grauiſsimam. Et inuenies,vbi par omnium pœna conſtituta ſit:etenim differẽtia nulla eſt,eccleſiaſticus aliquis,an laic⁹ ignobilis, an nobilis damnetur hæreſeos.cap.Ad abolendam. De hæret. Et miles quandoque punietur, vbi ne paganus quidem appellabitur: vt ebrius clericus acerrimè caſtigatur, quum prophanis & minoribus parcatur.can.Ante omnia.35.diſt. Dignitas, vt plurimum,crimen auget,criminiſque punitionem. Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe crimen habet, quantò qui peccat maior habetur. ait Satyricus. & ſimile eſt.in can. Nulli fas.25. q.1.Qui non poſſunt niſi magno populi malo & ſcandalo peccare,crudeliore pœna digni ſunt,non crudelitate ſententiæ, ſed correctionis exemplo.can.Præcipuè xi.q.3.l.Preſbyteri.C.de Epiſc.& cler. Quod ſi publica ceſſet offenſio, ſeueriùs in omni ſupplicio punire ſolent ignobiles,quàm nobiles:ideirco dixi ſuprà,iure ordinario, ſecundum quod ex perſonarum conditione & factorum violentia pœnæ ſunt diligenter æſtimandæ, ne quid aut durius,aut remiſsius conſtituatur, quàm cauſa poſtulet.l.4.ff.de incend.&c. Perpenſo itaque iudicio reſpiciendum eſt iudicanti, quid quæque res exigat, vt quam velit ille ſententiam ferat,vel grauiorem vel leuiorem: Sunt enim pœnæ omnes hodie arbitrariæ: ſed ita, vt moderationem non excedamus.l.Reſpiciendum. Et.l.hodie.ff. De pœnis. In ciuilibus componendis controuerſijs quatenùs oporteat æquitatem ſequi, noſtri varias diſtictiones afferunt.Summatim more

Aequalitas pœnarum.

Iuue.Saty. 8:

re meo dicam. Iudex in omnibus legem ſeruare tenetur, quantuncunque dura ſit & auſtera: neque enim iudex clementior lege velle videri debet. Solius principis eſt, vbi ius & æquitas pugnant, interpretationem mediam inſpicere. Quæ tamen lex æquitate nititur, ſemper eſt ab omnibus amplectenda: Pariter & ſeruanda eſt æquitas in definiendo negocio, quod nulla lata lege deciſum eſt: oportet (inquit Inno.) ex æquo & bono iudicem ſtatuere, cuius arbitrio res committitur. Pars æquitatis multò maxima eſt, in cauſis expediundis ſummariè procedere: periniquum eſt protelare lites, æquum eſt igitur abbreuiare lites, ait Feli. in cap. Ex parte, 2. de offi. deleg. hoc ſi qui non obſeruent, æquitatis iudices appellari non debent. Prodita quæ diximus de æquitate ſuprà citatis in principio locis inuenies. Quibus conuenienter non probat Ariſtoteles in vlla repub. ſed nec in regno iudices eſſe, qui non legibus, ſed arbitrio ſuo iudicent: potiſsimū ſi qui ſint, qui in rixoſa quadam & quæſtuaria iuris ſcientia conſenuerunt, & per obliquas cauſidicorum ſtrophas bubali naro ducuntur. Acribodiceos tales omnes inſtituit, legum præſcripto iuriſque regulis aſtrictos: quas præfractè & exactè cuſtodiant: niſi qua fortè accidant legibus non definita: tūc opus eſt ἐπιεικείᾳ, id eſt æquitate. Congenita nobis affectio ſæpe nos tranſuerſos agit, vnde lex reuocat & ratio. Nec dignitas, imò nec ætas aliquem liberat ab his animi perturbationibus. Quid illud verbi eſt? A ſenioribus egreſſa eſt iniquitas. Et ſenes erant, & ſacerdotes, & populi iudices, qui ſuis teſtimonijs Suſannam lapidarunt. Omnes igitur legibus obediunto. Cæterùm, de legibus humanis, vt bono viro ſuum ſit arbitrium, non licet in diuinis ἐπιεικίζειν: quod ſcriptum eſt, exequendum eſt. Sic Moyſes populo Deut. 12. Non facietis ſinguli, quod vobis rectum videtur: ſed quod præcipio tibi, hæc tantùm facito domino: nec addas quicquam, aut minuas.

Quomodo ex æquitate iudicandū in cauſis ciuilibus.

Nõ eſt cū in ſuis bõis ἐπιεικείαν tractare.

Daniel. 13.

SOPHO SVO.

QValem eſſe cupiam ciuitatem Chriſtianam, vides dulciſs. Sophe. Quæ noſtra tuo, tuíque ſimilium iudicio ſupponimus. Neque enim vlla in re litem meam facere volo. Non is ego ſum, qui cū inueteratis hominum ſtudijs contendere velim, quippe cui veritas etiam non valde placeat, quum ſeditioſa eſt. Pauculis his, qualiacunque ſint, omnem mihi materiam comprehendere viſus ſum, quę propiùs attingit ad hoc cap. Nouit, nixus magis euangelicis ſcripturis, & eccleſiaſticis decretis, quàm ciuili vllo, vel oligarchico iure, quod huc duntaxat aduoco in ſubſidium: Neque enim lex principis alicuius eccleſiam congregauit, ſed fides Chriſti: à quo vno eſt hæc Ariſtocratia noſtra: quam ſi quis mecum nō probat, & in illa neſcio qua viuere malit monarchia, nil moror, per me ſint omnia protinus alba, qui malim monitor eſſe, quàm dogmatiſtes. Quicunq; tamen, qualéſve ſimus, & vbicunque ſimus ac viuamus, omnes audiamus Apoſtolum præcipientem cunctis, Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ad Hebræos vlt.

Lutetiæ per Io. Quintinum Hæduum, hoſpitalis militiæ fratrem & ſodalem, repetita eſt hæc lectio, die menſis Aprilis vigeſimo, anno poſt natum ſaluti noſtræ Chriſtum milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Errata.

Pagina.	Linea.	Lege.
5	24	Nęotericis
7	29	De ſeruo.& propinq.emend.C. probatur.
42	25	vt iuxta formam
45	14	vnus eſtis in &c.
50	antepenul.	exercitium
101	30	De periurio querentem,
102	14	à periuro

89. in margine ſic lege: Electio imperatoris Ro. penes Alemanos.

MAMBOR
LEGATORE DI LIBRI
CORSO 32